An. et vol. CI 4 Septembris 2009 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

OBERENSIS

In Argentina nova conditur dioecesis Oberensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Valde solliciti de maiore spirituali bono Christifídelium, Venerabiles Fratres Ioannes Ruben Martínez, Episcopus Posadensis, et Marcellus Radulfus Martorell, Episcopus Portus Iguassuensis, audita Conferentia Episcopali Argentina, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, singulo distracto territorio ab utraque circumscriptione ecclesiastica sua, nova conderetur dioecesis. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Hadriani Bernardini, Archiepiscopi titulo Faleritani et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Apostolica Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Posadensi separamus integrum territorium paroeciarum: «San Antonio de Padua», «Cristo Rey», «Santa Rita», «San José Obrero» et «Ascensión del Señor», in *Oberá*; «San Rafael Arcángel», «Santa Teresita del Niño Jesús» et «María de Itatí», in

Cainguás; «Santa Teresita del Niño Jesús,» «Santa Catalina de Siena» et «Santa Rita», in *Colonia 25 de Mayo*; «San Francisco Javier», in *San Javier*, necnon paroeciae ritus Ucraini «Inmaculada Concepción», in *Oberá*; a dioecesi autem Portus Iguassuensis separamus integrum territorium paroeciarum «Cristo Rey», «San Juan Neumann» et «San Vicente de Paúl», necnon ritus Ucraini «Asunción de la Santísima Virgen», in *Guaraní*; atque ex ita distractis duobus territoriis iisdemque circumscriptam finibus novam constituimus dioecesim Oberensem. Item, a dioecesi Posadensi separamus integrum territorium paroeciarum «San Alberto Magno» in *Puerto Rico*, et «San Luis Gonzaga» in *Capioví*, quod quidem dioecesi Portus Iguassuensis adiungimus. Sic conditae dioecesis Oberensis sedem in urbe «Oberá» ponimus, templumque paroeciale ibi situm, Deo in honorem Sancti Antonii de Padua dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, in qua quidem Canonicorum Capitulum, ad iuris normam, iubemus institui. Praeterea novam dioecesim Oberensem suffraganeam facimus Metropolitanae Sedi Correntiensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Hadriano Bernardini, quem diximus, vel, ipso absente, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in Republica Argentina; eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iunii, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*
Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 117.391

II

MONGENSIS

In Ciadia Praefectura Apostolica Mongensis ad gradum Vicariatus Apostolici attollitur immutatis finibus et nomine.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum in Apostolica Praefectura Mongensi, intra fines Ciadiae sita curisque archidioecesis Ndiamenanae concredita, catholica religio haud parva incrementa suscepisset, ut ministris Evangelii inibi sedule operantibus meritum tribueretur testimonium laudis simulque eorum pastorales confirmarentur labores, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitisque faventibus votis sive Venerabilis Fratris Iudae Thaddaei Okolo, Archiepiscopi titulo Novicensis et in Ciadia Apostolici Nuntii, sive aliorum quorum interest, censuit nuper ut memorata Praefectura Apostolica ad gradum Vicariatus Apostolici eveheretur. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra Apostolica potestate Praefecturam Apostolicam Mongensem ad gradum Vicariatus Apostolici attollimus immutatis finibus et nomine. Quam insuper volumus adhuc pertinere diligentes ad curas Ndiamenanae archidioecesis. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Iudae Thaddaeo Okolo, quem diximus, imposito onere authenticum exemplar actus peractae exsecutionis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iunii, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

IVAN card. DIAS
Congr. pro Gentium Evangelizatione Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 117.354

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Albertinae Berkenbrock caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « An nescitis quoniam corpus vestrum templum est Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » (*1 Cor* 6, 19).

Albertina Berkenbrock iuvenis brevem per vitae suae cursum se intellexisse et Pauli Apostoli verba complevisse ostendit. Etenim de suo corpore sacrato plane conscia, mori maluit quam se peccato inquinare.

Sectatrix haec Redemptoris in Brasilia in pago Sancti Aloisii municipii *Imaruí* die XI mensis Aprilis anno MCMXIX a familia germanica, modica quidem et christiana, orta est. Tum sua in domo, tum in paroecia, ubi catecheticae doctrinae studuit, ad evangelica praecepta est instituta. Die IX mensis Martii anno MCMXXV Confirmationis sacramentum recepit et ad sacram Eucharistiam die XVI mensis Augusti anno MCMXXVIII primum accessit.

Domestica officia itemque rustica opera oboediens docilisque libenter gerere solebat. In pietatem praeterea et in meditationem omnino inclinabat. Assidue sacramenta recipere atque Sanctae Missae interesse ferventer consuevit.

Vitae simplicis praebuit exemplum, sed Domini voluntati fidelis, Cui omnibus ex partibus obsequi cupiebat. Per sacram Eucharistiam, orationem, erga Virginem Mariam, quam sancti rosarii precatione invocabat, erga sanctum Aloisium Gonzaga devotionem, suam fidem aluit. Cum in indigentioribus Domini vultum inspiceret, suam caritatem in pauperiores parvulos potissimum vertebat: inter illos amabiliter versabatur atque cum iisdem sua cibaria communicabat. Suum propter animum humilem, comem, lenem sibi omnium conciliavit benevolentiam. Bonitatis plena ne aspere tractantibus quidem aversabatur.

Modicis vestimentis utebatur ac suam puritatem curiose ita custodiebat, ut ad eam integram servandam suam traderet vitam.

Postmeridiano enim tempore diei XV mensis Iunii anno MCMXXXI, operarius quidam, a familia conductus, dum solus esset cum ea, ab eadem turpia poposcit atque, cum ipsa hoc detrectavisset, eam violare est conatus. Dei Servam denique firmiter resistentem iugulavit.

Martyrii fama, quae post Albertinae obitum emersit, annorum decursu increbruit atque effecit ut Episcopus Florianopolitanus anno MCMLII beatificationis Causam seu martyrii declarationem incoharet. Rite absolutis iure statutis rebus, decretum super martyrio die XVI mensis Decembris anno MMVI editum est. Statuimus igitur ut beatificationis ritus in Brasilia, Tubaraoënsi in urbe, die XX mensis Octobris anno MMVII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum Album Venerabilem Dei Servam Albertinam Berkenbrock adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Hyacinthi Bergmann, Episcopi Tubaraoënsis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Albertina Berkenbrock virgo et martyr, christifidelis laica, quae ob amorem Christi dignitatem corporis sui defendit et virginitatem, usque ad vitae immolationem, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima quinta Iunii, qua in caelum nata est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 54.403

II

Venerabili Dei Servae Mariae Rosae Flesch (in saeculo Margaritae) caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Multum pro Christo pati despicique sunt haec verae Christi sponsae miracula».

Hanc vitae regulam prorsus est testata vivens Venerabilis Dei Serva Maria Rosa Flesch quemadmodum ipsa suis in litteris scripserat. In parvo pago, claustro Sconestadii proximo, haud longe ab urbe Confluentina, die XXIV mensis Februarii armo MDCCCXXVI orta est. Mox tum matrem tum patrem amisit, quod totam eius vitam notavit quodque effecit ut Christum ipsa amaret eique inserviret in pauperioribus praesentem: scilicet in pupillis. Luctus, morbi atque dolores eam erga proximum dolentiorem promptam effecerunt, cui totam vitam dicare statuit. Post multas contumelias atque summam paupertatem anno MDCCCLXIII pupillorum suscipiendorum causa domum aedificare coepit. Initium fuit fundationis Sororum Franciscalium a Beata Virgine Angelorum. Ex Sancti Francisci Assisiensis charismate Regula est formata, ad aegrotos curandos parvulosque instituendos. Iam anno MDCCCLXIII primae fuerunt postulantes ita ut in orientem operam Domini benedictio clarius usque per dilatantem Congregationem manifestaretur.

Paucis mensibus post primam domum conditam, alia in oppido *Oberzissen* Eifliensis regionis est excitata, ubi infirmi in suis domiciliis curabantur, pro iuvenibus erat schola atque ludus pueritiae agebatur. Veluti granum sinapis evangelicum, quod magna arbor factum est, sic parvum institutum mox uberes fructus edere coepit. Anno iam MDCCCLXVII sodales LXXIX et plus IV domus numerabantur. Haec amplificatio perquam peculiaribus dotis humanis moralibusque Matris Conditricis adscribebatur. Cum pro spiritalibus filiabus cohortationes statis temporibus haberet, ipsa vi virtuteque repleta de spiritali vita, de perfectione optata, de exercendis virtutibus eas instituere solebat. Cum res, vel necessariae, deficerent, Dei Serva in sacellum sorores congregabat, ubi moventibus precationibus suas miserias Deo manifestabat, panem cotidianum pro illis parvulisque custoditis postulans, Divina Providentia omnino fisa. Die XIX mensis Iunii anno MDCCCLXVIII Venerabilis Dei Serva una suis cum sociis exoptata vota religiosa in Episcopi Trevirensis manibus nuncupavit atque postea Regularum et Constitutionum textus est comprobatus. Prussiano bello anni MDCCCLXX ingruente, ipsa prae se firmitu-

dinem et actuositatem tulit, cum ad complures sauciatos curandos vocarentur sorores, quae periculum posthabentes vel ipsi aciei proximae fuerunt. Antistitae Generalis absoluto munere, humilis in occulto se continuit atque XXVIII annos persecutiones aerumnasque per suas filias illatas passa est. Post vitam Dei gloriae proximique commoditati dicatam, inter aegritudines offensionesque exactam, quas communis homo non toleravisset, Mater Maria Rosa Flesch suum terrestrem cursum in principali domo oppidi *Waldbreitbach* die XXV mensis Martii anno MCMVI absolvit.

Dei populus sanctam eam putavit atque fama haec perstans effecit ut Episcopus Trevirensis beatificationis Causam per Processus Ordinarii celebrationem incoharet, qui anno MCMLVII Treviris initium cepit et anno MCMLXXXII ad finem est adductus. Postquam Decreto diei XIX mensis Februarii anno MCMXCIX iuridica validitas est comprobata, faventibus Consultoribus Theologis et Patribus Cardinalibus Episcopisque, Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI et de miraculo die VI mensis Iulii anno MMVII evulgaret. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Treviris die IV mensis Maii anno MMVIII celebraretur:

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Ioachimus S.R.E. Cardinalis Meisner, Archiepiscopus Coloniensis, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum Album Venerabilem Dei Servam Mariam Rosam Flesch adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Rainardi Marx, Episcopi olim Trevirensis, atque Administratoris dioecesani Roberti Brahm, Episcopi titulo Mimianensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Rosa (in saeculo: Margarita) Flesch, virgo, Fundatrix Instituti Sororum Franciscalium a Beata Maria Virgine Angelorum, quae, Christi passioni coniuncta, suam exegit vitam in caritate erga pauperiores, dolentes et derelictos, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die undevicesima Iunii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.
In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praeclara haec mulier insignes religiosae pietatis fideique testificationes dedit, quae totam suam vitam Domino Deo omnino addixit atque pro Christi et Ecclesiae amore suam exegit aetatem. Ad Iesu monitum parvulis instituendis, pauperibus sustinendis aegrotisque curandis consentaneum in

modum incubuit. Quapropter enixe hortamur omnes christifideles ad illius virtutes, praesertim caritatem, verbo et opere pie imitandas.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Maii, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 76.820

III

Venerabili Dei Servo Michaëli Sopoćko Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Qui sequitur iustitiam et misericordiam, inveniet vitam et iustitiam et gloriam» (*Prv* 21, 21).

Venerabilis Servus Dei Michaël Sopoćko, presbyter, in ministerio, spiritali moderamine, formatione sacerdotali tot suorum confratrum, cotidiana sacramenti Reconciliationis administratione, Divinam ostendit Misericordiam, praesentem eam reddens et operantem eiusque diffundens nuntium atque devotionem. Die I mensis Novembris anno MDCCCLXXXVIII natus est in praedio vulgo *Juszewszczyzna,* in provincia Oszmiana Regionis Vilnensis, in Polonia, tunc temporis sub Imperii Russici dominatu. In Seminarium Vilnense, non sine difficultatibus ex parte auctoritatum Russiae Imperatoris, anno MCMX est ingressus. Sacerdos die XV mensis Iunii anno MCMXIV est ordinatus. Paroecialis Vicarii munus implevit, deinde, libertate restituta Poloniae, petivit ut in nascentem exercitum veluti cappellanus ingrederetur. Curricula apud Facultatem Theologiae Varsaviae prosecutus est, ubi lauream est consecutus. Consuetudinem alcoholismi apud iuvenes diligenter est perscrutatus; huiusmodi enim dissertatio tantum ponderis habuit ut senatus primaevas contra

illam moralem perniciem leges ederat. De superiorum voluntate Vilnae ministerium exercuit in Regione Apostolatus Exercitus Polonici. Hac in urbe non solum ecclesiam refecit sancti Ignatii, sed pastorali se dedit operi inter iuvenes scholam non amplius frequentantes necnon inter sodales Consociationis Iuventutis Catholicae. Anno MCMXXVII nominatus est animarum moderator in Seminario Metropolitano, quod munus aliquot per annos explevit, quin cappellani militum officium relinqueret, simul investigationi intentus apud Facultatem Theologiae Studiorum Universitatis «Stephanus Batory». Altissimum propositum aluit sacram aedificandi aedem in honorem Divinae Misericordiae, sed, anno MCMXLII, belli vicissitudines huic consilio obstiterunt. Ab anno MCMXXXII ad annum MCMXLII confessarius exstitit Sororum «Matris Dei Misericordis». Hoc perdurante munere sanctam convenit Faustinam Kowalska cuius animam moderatus est. Longe et diligenter inspectis divinis nuntiis sorori concreditis circa Divinam Misericordiam, vocari persensit ad eius cultum diffundendum. Cum territorium Vilnense sub Unionis Sovieticae regimen transiret, gens Polonici sermonis in terram Poloniae gregatim conferre se debuit. Venerabilis Servus Dei Michaël Sopoćko coactus est quoque Vilnam relinquere et Bialostokium petere, ubi prosecutus est apostolatum, tum in Seminario, tum in confessionali, tum veluti cappellanus apud sorores Missionarias. Etiam Bialostokii decrevit sacram aedem in honorem Divinae Misericordiae construere, novae tamen exortae sunt difficultates. Amor erga Divinam Misericordiam incitavit eum ad Congregationem condendam Sororum Iesu Misericordis. Altam ob asceticam vitam annos LXXXVII vixit, etiamsi numquam bona frueretur valetudine.

Fama sanctitatis circumdatus, die XV mensis Februarii anno MCMLXXV Bialostokii pie in Domino obdormivit.

Eiusmodi famae diffusio induxit Venerabilem Fratrem Eduardum Kisiel, Episcopum titulo Limatensem atque Administratorem Apostolicum «ad nutum Sanctae Sedis» territorii archidioecesis Vilnensis intra Poloniae fines, ut Causam instrueret Beatificationis, cuius prima sessio incohata die IV mensis Decembris anno MCMLXXXVII, conclusa est die XXIX mensis Septembris anno MCMXCIII. Iuridicam validitatem Inquisitionis Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per Decretum diei XXII mensis Septembris anno MCMXCIX. Felicem post exitum Congressus Peculiaris Theologorum die V mensis Octobris anno MMIV, atque positiva habita sententia Patrum Cardinalium et Episcoporum in Sessione Ordinaria die VII sequentis mensis Decembris, Servus Dei Ioannes Paulus II, Decessor Noster rec. mem., die XX mensis Decembris anno

MMIV Decretum edi iussit *super virtutibus*. Et Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum promulgaret *super miro* die XVII mensis Decembris anno MMVII atque decrevimus ut Beatificationis ritus die XXVIII mensis Septembris anno MMVIII Bialostokii, in Polonia, perageretur.

Hodie igitur Bialostokii de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato S.D.B., Archiepiscopus titulo Silensis atque Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servum Dei Michaëlem Sopoćko:

Nos, vota Fratris Nostri Eduardi Ozorowski, Archiepiscopi Bialostocensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Michaël Sopoćko, presbyter, qui vitam suam Misericordiae Divinae nuntiandae exegit, specimen vivens sacerdotalis sanctitatis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die quinta decima Februarii, qua videlicet in caelum natus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Septembris, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 84.502

IV

Venerabili Dei Servo Francisco Pianzola caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus ...» (*Lc* 4, 18).

Venerabilis Dei Servus Franciscus Pianzola, sacerdos, se Evangelio imbuit. Sua presbyterali missione compulsus, Christum verbo vitaque praedicavit. Die V mensis Octobris anno MDCCCLXXXI Sartiranae Laumellensis in oppido, quod in Papiensi provincia situm est, ex familia simplici austeraque ortus est, et ad Deum amandum, ad opus et ad christianam pietatem est institutus. Anno MDCCCXCIII Viglevanense Seminarium est ingressus atque presbyterali ordine die XVI mensis Martii anno MCMVII auctus est. Ad Immaculatae Viglevanense Sanctuarium ab Episcopo ut rector destinatus, inde a primis apostolatus muneribus operoso officio praedicandi eminuit. Die VIII mensis Decembris anno MCMVIII inceptum ad effectum attulit, una cum nonnullis Seminarii sociis susceptum, condidit scilicet Institutum Patrum Oblatorum Immaculatae, qui missiones ad populum curarent atque iuvenes christiana religione instituerent. Venerabilis Dei Servus minutatim prudenterque in suam dioecesim missionalem sensum transfudit, in ruralibus potissimum locis. Quandoquidem bona arbor fructus fert bonos, die VIII mensis Maii anno MCMXIX Congregationem Sororum Missionariarum Immaculatae Reginae Pacis condidit, quae evangelicum nuntium curarent atque arte cum sacerdotibus, fideles curantibus, cooperarentur, operarias camporum, nominatim orizae purgatrices, colentes. Eius praedicatio dioecesis etiam fines per spiritalia exercitia, missiones, hebdomadarias cleri institutiones ab Actione Catholica compositas, est praetergressa. Suam praedicationem usque ad audientium mentem accommodavit, cum vivam caritatem demonstraret, quae fidei veritatem amabiliter praeberet, coniunctae cum sacerdotali vivendi modo, quoad paupertatem et a mundo seiunctionem, quae res ad altam humilitatem eum perduxit. Suum sacerdotium tenuit usque Christum Summum Sacerdotem ac Pastorem, inter operosos Laumellenses homines, intuens, cum in omni provincia «pauperes moraliterque aegrotas animas, quoad religionem fere litteris carentes quaereret». Die IV mensis Iunii anno MCMXLIII ad Patrem suam vitam tradidit, sanctitatis odorem effundens.

Dei populus eum verum sanctum putavit, qua opinione post eius mortem roborata compulsus, Episcopus Viglevanensis beatificationis Causam anno MCMLXXXIII incohavit, cuius, anno MCMXC perfectae, iuridica validitas Congregationis de Causis Sanctorum Decreto die XXXI mensis Ianuarii anno MCMXCII est comprobata. Favente Consultorum Theologorum peculiari Congressu die XX mensis Novembris anno MMIV nec non Patrum Cardinalium Episcoporumque Ordinaria Sessione suffragante die VIII mensis Februarii anno MMV, Nos Ipsi eius virtutes heroum in modum exercitas die XXVI mensis Iunii anno MMVI ediximus. Omnibus iure statutis perfectis rebus, facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die XV mensis Martii anno MMVIII evulgaret.

Hodie Viglevani de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum emeritus Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Franciscum Pianzola adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Claudii Baggini, Episcopi Viglevanensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus Pianzola, presbyter, fundator Congregationis Sororum Missionariarum Immaculatae Reginae Pacis, diligens Dei testis, indefatigatus praeco Evangelii ardensque iuvenum educator, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die quarta Iunii, qua in caelum est natus, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Octobris, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 94.562

HOMILIA

In Sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis.*

Venerati Fratelli nell'Episcopato e nel Sacerdozio,
cari fratelli e sorelle,

L'odierna solennità corona il ciclo delle grandi celebrazioni liturgiche nelle quali siamo chiamati a contemplare il ruolo della Beata Vergine Maria nella Storia della salvezza. Infatti, l'Immacolata Concezione, l'Annunciazione, la Divina Maternità e l'Assunzione sono tappe fondamentali, intimamente connesse tra loro, con cui la Chiesa esalta e canta il glorioso destino della Madre di Dio, ma nelle quali possiamo leggere anche la nostra storia. Il mistero della concezione di Maria richiama la prima pagina della vicenda umana, indicandoci che, nel disegno divino della creazione, l'uomo avrebbe dovuto avere la purezza e la bellezza dell'Immacolata. Quel disegno compromesso, ma non distrutto dal peccato, attraverso l'Incarnazione del Figlio di Dio, annunciata e realizzata in Maria, è stato ricomposto e restituito alla libera accettazione dell'uomo nella fede. Nell'Assunzione di Maria, contempliamo, infine, ciò che siamo chiamati a raggiungere nella sequela di Cristo Signore e nell'obbedienza alla sua Parola, al termine del nostro cammino sulla terra.

La tappa ultima del pellegrinaggio terreno della Madre di Dio ci invita a guardare al modo in cui Ella ha percorso il suo cammino verso la meta dell'eternità gloriosa.

Nel brano del Vangelo appena proclamato, san Luca racconta che Maria, dopo l'annuncio dell'Angelo, «si alzò e andò in fretta verso la regione montuosa» per fare visita ad Elisabetta.[1] L'evangelista, dicendo questo, vuole sottolineare che per Maria seguire la propria vocazione, nella docilità allo Spirito di Dio, che ha operato in Lei l'incarnazione del Verbo, significa percorrere una nuova strada ed intraprendere subito un cammino fuori della propria casa, lasciandosi condurre solamente da Dio. Sant'Ambrogio, commentando la «fretta» di Maria, afferma: «la grazia dello Spirito Santo non comporta lentezze».[2] La vita della Madonna è condotta da un Altro — «Ecco la serva del Signore: avvenga in me secondo la tua parola»[3] — è modellata

* Die 15 Augusti 2009.
[1] *Lc* 1, 39.
[2] *Expos. Evang. sec. Lucam*, II, 19: PL 15, 1560.
[3] *Lc* 1, 38.

dallo Spirito Santo, è segnata da eventi ed incontri, come quello con Elisabetta, ma soprattutto dalla particolarissima relazione con il suo figlio Gesù. È un cammino nel quale Maria, serbando e meditando nel cuore gli avvenimenti della propria esistenza, scorge in essi in modo sempre più profondo il misterioso disegno di Dio Padre, per la salvezza del mondo.

Seguendo poi Gesù da Betlemme all'esilio in Egitto, nella vita nascosta e in quella pubblica, fino ai piedi della Croce, Maria vive la sua costante ascesa verso Dio nello spirito del *Magnificat*, aderendo pienamente, anche nel momento dell'oscurità e della sofferenza, al progetto d'amore di Dio e alimentando nel cuore l'abbandono totale nelle mani del Signore, così da essere paradigma per la fede della Chiesa.[4]

Tutta la vita è un'ascensione, tutta la vita è meditazione, obbedienza, fiducia e speranza, anche nelle oscurità; e tutta la vita è questa « sacra fretta », che sa che Dio è sempre la priorità e nient'altro deve creare fretta nella nostra esistenza.

E, finalmente, l'Assunzione ci ricorda che la vita di Maria, come quella di ogni cristiano, è un cammino alla sequela, la sequela di Gesù, un cammino che ha una meta ben precisa, un futuro già tracciato: la vittoria definitiva sul peccato e sulla morte e la comunione piena con Dio, perché — come dice Paolo nella Lettera agli Efesini — il Padre « ci ha anche risuscitato e ci ha fatto sedere nei cieli in Cristo Gesù ».[5] Ciò vuol dire che con il Battesimo siamo fondamentalmente già risuscitati e sediamo nei cieli in Cristo Gesù, ma dobbiamo corporalmente raggiungere quanto già cominciato e realizzato nel Battesimo. In noi l'unione con Cristo, la risurrezione, è incompiuta, ma per la Vergine Maria essa è compiuta, nonostante il cammino che anche la Madonna ha dovuto fare. Ella è entrata nella pienezza dell'unione con Dio, con il suo Figlio, e ci attira e ci accompagna nel nostro cammino.

In Maria assunta in cielo contempliamo, allora, Colei che, per singolare privilegio, è resa partecipe con l'anima e con il corpo della definitiva vittoria di Cristo sulla morte. « Compiuto il corso della vita terrena — dice il Concilio Vaticano II — fu assunta alla gloria celeste in corpo e anima, ed esaltata dal Signore come Regina dell'universo, perché fosse più pienamente conformata al Figlio suo, Signore dei signori[6] e vincitore del peccato e della morte ».[7] Nella

[4] Cfr. *Lumen gentium*, 64-65.
[5] *Ef* 2, 6.
[6] Cfr. *Ap* 19, 16.
[7] *Lumen gentium*, 59.

Vergine Assunta in cielo contempliamo il coronamento della sua fede, di quel cammino di fede che Ella indica alla Chiesa e a ciascuno di noi: Colei che in ogni momento ha accolto la Parola di Dio, è assunta in cielo, cioè è accolta Lei stessa dal Figlio, in quella « dimora » che ci ha preparato con la sua morte e risurrezione.[8]

La vita dell'uomo sulla terra — come ci ha ricordato la prima lettura — è un cammino che si svolge, costantemente, nella tensione della lotta tra il drago e la donna, tra il bene e il male. È questa la situazione della storia umana: è come un viaggio in un mare spesso burrascoso; Maria è la stella, che ci guida verso il Figlio suo Gesù, « sole sorto sopra tutte le tenebre della storia »[9] e ci dona la speranza di cui abbiamo bisogno: la speranza che possiamo vincere, che Dio ha vinto e che, con il Battesimo, siamo entrati in questa vittoria. Non soccombiamo definitivamente: Dio ci aiuta, ci guida. Questa è la speranza: questa presenza del Signore in noi, che diventa visibile in Maria assunta in cielo. « In Lei (...) — leggeremo tra poco nel Prefazio di questa Solennità — hai fatto risplendere per il tuo popolo pellegrino sulla terra, un segno di consolazione e di sicura speranza ».

Con San Bernardo, mistico cantore della Vergine Santa, così la invochiamo: « Ti preghiamo, o benedetta, per la grazia che tu trovasti, per quelle prerogative che tu meritasti, per la Misericordia che tu partoristi, fa' che colui che per te s'è degnato di farsi partecipe della nostra miseria ed infermità, grazie alla tua preghiera, ci faccia partecipi delle sue grazie, della sua beatitudine ed eterna gloria, Gesù Cristo, Figlio tuo, Signore nostro, il quale è sopra tutte le cose, Dio benedetto nei secoli dei secoli. Amen ».[10]

[8] Cfr. *Gv* 14, 2-3.
[9] *Spe salvi*, 49.
[10] *Sermo 2 de Adventu*, 5: PL 183, 43.

NUNTIUS

Ad XI Symposium Interchristianum

Al venerato Fratello
Cardinale Walter Kasper
Presidente del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani

Attraverso di Lei, venerato Fratello, in qualità di Presidente del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, ho il piacere e la gioia di inviare un caloroso e beneaugurante saluto agli organizzatori e ai partecipanti dell'XI Simposio intercristiano, promosso dall'Istituto Francescano di Spiritualità della Pontificia Università *Antonianum* e dalla Facoltà Teologica Ortodossa dell'Università *Aristoteles* di Tessalonica, in programma a Roma dal 3 al 5 settembre p.v.

Mi rallegro anzitutto per tale iniziativa di fraterno incontro e confronto sugli aspetti comuni della spiritualità, che è linfa benefica per un più ampio rapporto fra cattolici e ortodossi. In effetti, questi Simposi, iniziati nel 1992, affrontano tematiche importanti e costruttive per la reciproca comprensione ed unità di intenti. Il fatto che ci si incontri alternativamente in un territorio a maggioranza cattolica od ortodossa permette poi un contatto reale con la vita concreta, storica, culturale e religiosa delle nostre Chiese.

In particolare, quest'anno avete voluto organizzare il Simposio a Roma, città che offre a tutti i cristiani testimonianze indelebili di storia, archeologia, iconografia, agiografia e spiritualità. Forte stimolo ad avanzare verso la piena comunione è soprattutto la memoria degli Apostoli Pietro e Paolo, *Protòthroni*, e di tanti martiri, testimoni antichissimi della fede. Di essi scrive san Clemente Romano che «soffrendo...molti oltraggi e tormenti, divennero un esempio bellissimo fra noi».[1]

Il tema scelto per il prossimo incontro: «*Sant'Agostino nella tradizione occidentale e orientale*» — argomento che si intende sviluppare in collaborazione con l'Istituto Patristico *Augustinianum* — risulta quanto mai interessante per approfondire la teologia e la spiritualità cristiana in occidente e in oriente, e il loro sviluppo. Il Santo di Ippona, un grande Padre della Chiesa

[1] Cfr. *Lettera ai Corinti*, VI, 1.

Latina, riveste in effetti una fondamentale importanza per la teologia e per la stessa cultura dell'occidente, mentre la ricezione del suo pensiero nella teologia ortodossa si è rivelata piuttosto problematica.

Conoscere pertanto con oggettività storica e cordialità fraterna le ricchezze dottrinali e spirituali che formano il patrimonio dell'oriente e dell'occidente cristiano, diventa indispensabile non solo per valorizzarle, ma anche per promuovere un migliore reciproco apprezzamento fra tutti i cristiani.

Esprimo pertanto il cordiale auspicio che il vostro Simposio sia fruttuoso, quanto mai proficuo per scoprire convergenze dottrinali e spirituali utili a costruire insieme la Città di Dio, dove i suoi figli possano vivere nella pace e nella carità fraterna, fondate sulla verità della fede comune. Assicuro a tal fine la mia preghiera, chiedendo al Signore di benedire gli organizzatori e le istituzioni che essi rappresentano, i relatori cattolici ed ortodossi e tutti i partecipanti.

La Grazia e la pace del Signore siano nei vostri cuori e nelle vostre menti!

Da Castel Gandolfo, 28 Agosto 2009.

BENEDICTUS PP. XVI

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

MENDEZEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Troncatti Sororis Professae ex Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis (1883-1969)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Pulchrius nihil exstat quam attingi, quam admiratione affici, de Evangelio, a Christo. Nec quidquam iucundius quam ipsum cognoscere eiusque cum aliis participare amicitiam » (Benedictus XVI, Adhortatio apostolica post-synodalis *Sacramentum caritatis*, n. 84).

Vita Servae Dei Sororis Mariae Troncatti missionis sigillo apprime signari videtur, quod praeprimis, scilicet adusque quadragesimum fere aetatis annum, ardor spiritus fuit, demum vero integra suipsius oblatio usque ad mortem, quae provecta aetate octoginta sex annorum, occurrit. Afflatus eius nusquam defecit et omnibus in vitae adiunctis Iesum cuicumque ei obviam veniret ostendit.

Serva Dei Maria Troncatti in vico Brixiensis provinciae vulgo dicto *Córteno Golgi* die 16 mensis Februarii anno 1883 nata est. Confirmationis Sacramento adhuc puella trium annorum munita est et, vix sex annos nata, ad mensam eucharisticam magistrae suae gratia primum accedere potuit, quae exsertum ac vivacem intellectum, necnon praecocem conscientiam christianam in ea animadvertere valuit. Qui primus Panis vitae occursus magnum signavit momentum in gratiae progressu puellae, cuius animus ineffabili blanditia est perfusus et veluti spirituali naturae motu ita impulsus, ut exinde cotidie Missae celebrationi adesset et ter in hebdomada, ut tunc licebat, maximo cum gaudio Sacratissimam susciperet Eucharistiam.

Vix decimum sextum annum agens, Consociationi Filiarum Mariae, nuperrime a parocho eius institutae, adhaesit. Quo tempore vero vocatio ad suipsius oblationem per consecrationem totalem Deo in puellae corde

paulatim profecit, sed cum pater, spectata pubere filiae aetate, minime huic eius consilio consentiret, demum vicesimo secundo vergente vitae eius anno, sivit ut apud Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis tamquam probanda reciperetur. Discessus a familia, die 15 mensis Octobris «funebri sub aere», sicut proximi ipsi tradunt, evenit: Mariae enim pater, simul ac filia domus ostium, oculis minime retro versis, superavit, animo relictus est.

Item pergrave fuit Sorori Mariae tempus initialis institutionis: nam, valetudo eius, quae antea firma et sana evaserat, ad aegritudinem iam novitiatus tempore inclinare coepit, quod porro, occasione data de futuro decernendo, Superiorissas haesitantes fecit, non autem ipsam novitiam, quae tunc quaenam essent via et voluntas Domini satis firmiter noverat.

Soror Maria, igitur, ad professionem, licet «sub condicione», admissa est et prima vota, ad annum, die 17 mensis Septembris anno 1908 emisit. Hic fuit quoque annus qui roboravit eius valetudinem. Iuvenis Soror, enim, vitam sacrificii maxime dilexit et in fervore oblationis in dies profecit: «Deum in omnibus praesentem habeamus. Proximum habemus Deum. Cum eo ergo in precationibus et scrupulosa oboedientia loquamur».

Primo totius mundi bello ineunte, Maria missa est Varaginem, ut speciali scholae infirmis ministrandi interesset necnon domina fieret a Cruce Rubra et postea operi auxilii et refectionis militum sauciorum, qui e belli fronte redirent, omni studio vacaret. Quorum permagni dolores animo eius adeo personaverunt, ut ipsa in se speciem maternitatis novae aleret, qua proximum eniteretur lenire, mederi, redimere ac salvare. Post bellum Niciam missa est, ubi Domus mater Instituti exstat, ut infirmis ministraret atque adiutrix esset in oratorio, quo munere functa semper est promptissima voluntate, omnibus subveniendo atque inopinatis quoque eventibus consulendo.

Dum quadragesimum iam annum aetatis explebat, votum totius vitae eius consummatum est: Superiorissa Generalis, enim, eam in Aequatoriam mittere statuit, duabus periuvenibus sociis comitantibus. Quae omnes die 9 mensis Novembris anno 1922 profectae sunt. Insequentes quadraginta septem anni vitae Sororis Mariae revera et ex toto anni «missionis» fuerunt, quam semper etiam in brevibus vacationis temporibus in corde et mente habuit.

In vico vulgo dicto *Chunchi* super catenas Andium, inter indigenas Soror Maria munere medici seu, iuxta nativorum linguam, «matris physicae» functa est et nosocomium ex nihilo nullisque opibus una cum parvo pharma-

corum emporio, vulgo *botiquín*, fundavit. Omnibus semper adfuit, benignam se exhibens et erga corpora et animas sedulam.

Anno 1925 Soror Maria cum exiguo coetu sociarum suarum magno saltu ad Amazonicam silvam demum perrexit et longas post vicissitudines loca missionis apud vicum *Méndez* adiit. Ibi manipulus indigenarum, sagittis, lanceis cultrisque armatus, miseras missionarias perlongo labore extenuatas opprimebat, qui ingressum ea tantum sub condicione concedebat, ut adolescens quaedam ducis loci filia sanaretur, quae ante paucos dies in lite quadam cum inimicis plumbis forte perfossa erat. Perpaucis provisionibus facultatibusque, coetulo missionariarum in oratione secedente, Maria vulnus puellae cultro insecuit et, tabe aperta quasi invisibili manu, excussum plumbum emersit. Magno cum gaudio ubique per silvam indigenae nuntium statim diffundere coeperunt albam mulierem pervenisse, veneficam summam, cui transitum per silvam concedere oportebat. Multas post angustias mulieres ad collem sacrum *Macas* nuncupatum pervenerunt, qui erat Vicariatus Apostolici Mendezensis sedes, circa veterem imaginem Immaculatae Virginis, vulgo *Purísima*, constituta, originem saltem a tribus saeculis repetens.

Navitas Sororis Mariae de *Macas* flumen *Upanum* in dies provexit, prope sedem ubi vetus Aurea Hispalis floruerat: primum missionem vulgo *Don Bosco* nuncupatam Hispali fundavit, dein missionem Sucuensem «in valle mirae pulchritudinis lata et praeclara», inter flumina *Upanum* et *Tutanangotium*. Iam septuagenaria, anno 1954, magno cum gaudio expletum videre potuit nosocomium ab ipsa fundatum et solidis moenibus praeditum, quod antea fragilibus lignis exstructum erat, laeta quia illuc recipere posset aegrotos et receptacilum corporibus animisque remedium comparare. Continuae autem infestationes tabium morbilli et variolae pluries eam fatigaverunt, quae pueros et iuvenes corripiebant et animo eius compatienti semper novos addebant dolores.

Pro puellis in nosocomio degentibus scholas infirmorum ministrarum instituit, pro externis vero scholas textilia suendi, sanitati corporis cavendi, pueros instituendi ac artem coquinariam docendi. Annis vero 1960-1962 catecheses quoque de matrimonio inchoavit. Cordi eius institutio et provectus mulierum semper fuerunt, quae iuxta mores indigenarum tribuum vulgo *shuar* saepius ut servae virorum habebantur, qui tamquam omnipotentes domini eas subiciebant et, nulla habita condicionum maternitatis vel curae filiorum reverentia, gravissimis conterebant laboribus.

Octuagenaria facta ac regimine nosocomii dimisso, Soror Maria sedulitatem suam benignae materculae seu vulgo *abuelita* alio modo exercuit: nam, omnibus cuiusvis generis, aetatis et condicionis, aures, consilia et auxilium sine discrimine adeo praebuit, ut, anno 1969, tristis in « Hebdomada cooperationis agricolarum » prima perciperet signa minarum, quae coloni quidam contra missionem et missionarios in re magis navos iactare incipiebant. Die 4 mensis Iulii aer ille molestus tempestatis tunc culmen attigit, cum vorax ignis dolosus una nocte tot laborum annos apud missionem Sucuensem consumpsisset. Quod Sororem Mariam in imo corde excruciavit: moderatores Foederationis *Shuar* oravit obsecravitque, ut animos exacerbatos quorundam eorum placarent, et seipsam uti victimam pro pace obtulit. Consorores eam affirmare audierunt: « Duae hae gentes numquam reconciliationem invenient, nisi victima quaedam parata erit immolari pro iis ».

Die 5 mensis Augusti, cum festum Beatae Mariae Virginis Immaculatae de *Macas* seu vulgo *Purísima* celebraretur, Soror Maria festivitati spirituali cum vero gaudio adfuit; deinde autem locuta est cum sorore, cui secretum concredidit tantum post eventus divulgandum: « Immaculata locuta est mecum, ut expediar: cito enim quid grave mihi eventurum est ».

Die 25 mensis Augusti, communitati valedicens, ut Quitum proficisceretur ad exercitia spiritualia explenda, oculis in Sorores adhuc turbatas intentis, voce inusitatae persuasionis eas consolata est his verbis: « Promitto vobis quam citius pacem et quietem remeare ».

Cum ad locum profectionis venisset, parva aeria navis iam parata erat: comites sorores, quae illuc eam deduxerant, cito salutavit et in navim aeriam ingressa est. Quae vero navigatio fuit mortis: perbrevi enim interposita mora, magnum auditum est murmur, cui sonus e turri conspicionis secutus est parvae navis aeriae ruinam annuntians.

Oblatio victimae sic consummata est. Exinde planctus omnium, scilicet colonorum, indigenarum, gentium regionem incolentium, in communem dolorem coaluit atque unam sententiam expressit: «Sancta mortua est... matercula nostra iam non est ».

Spiritualitas Sororis Mariae Troncatti, quae simplex ac sobria apparet, alta est existimanda, quam Serva Dei cum animi magnitudine vixit etiam in cotidianis rerum adiunctis.

Crebrescente fama sanctitatis, sicut plurimae Litterae postulatoriae comprobant, Vicarius Apostolicus Mendezensis audita Conferentia Episcoporum Aequatoriae Inquisitionem dioecesanam celebravit annis 1986-1987 iuxta

lineamenta a Sancta Sede in Constitutione *Divinus perfectionis Magister* definita et Normas anno 1983 emanatas. Auctoritas et vis iuridica Inquisitionis dioecesanae a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 7 mensis Iulii anno 1989 probatae sunt, inserta clausula Inquisitionem Rogatorialem instruendi in locis ubi Serva Dei vixit antequam ad missionem proficisceretur, qui Brixiae anno 1989 celebratus est. Eius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 25 mensis Maii anno 1990 probatae sunt. *Positione* anno 1997 confecta, iuxta morem, die 2 mensis Maii anno 2008, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Octobris anno 2008, audita relatione Excellentissimi Domini Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico Servae Dei Mariae Troncatti, Sororis professae ex Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

VARSAVIEN.

Canonizationis Beati Sigismundi Felicis Feliński Archiepiscopi titularis Tarsensis olim Archiepiscopi Varsaviensis, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Familiae Mariae (1822-1895)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Sigismundus Felix Feliński, nobili genere Polono, natus est die 1 Novembris anno 1822 in pago *Wojutyn*, in dioecesi Luceorensi, quae olim Russorum in finibus erat, nunc autem Ucrainorum. Anno 1855 Petroburgi presbyteratum accepit. Inde usque repetens eius vita munerum successio fuit, quorum et fuit fundatio Congregationis Sororum Franciscalium Familiae Mariae. Archiepiscopus Varsaviensis nominatus est anno 1862, in angustiis quoad publicas res semper assiduus in spirituali et morali sui populi renovatione fuit et nixus est pro Ecclesiae libertate a Russiae Imperatoris interventu. Cum in odium Russiae potestati venisset, per viginti annos relegatus est in exsilium Iarostaviae iuxta flumen Ra. Obtenta libertate anno 1883, Varsaviae commorari nequit sic omnes curas in rem apostolicam contulit praecipue ruralibus in locis iuxta *Dźwiniaczka* in ditione Austriae. Mors lumina eius clausit Cracoviae, quae in itinere fuit, die 17 Septembris anno 1895. In Beatorum numero a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 18 Augusti 2002 ascriptus est.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit quandam miram sanationem Sororis Stephaniae Zelek ex Congregatione Sororum Franciscalium Familiae Mariae, quae quartum et vicesimus annum agens, tabe pulmonari laborare incepit. Progressu aetatis in peripneumoniam delapsa est, quam ad curandam in valetudinarium in pago *Szczyrzyc* recepta est, in quo et alios acerbos morbos invenerunt clinici. In sequentibus exceptionibus in valetudinarium etiam grave damnum ossea in medulla repertum est.

Condicio iam senis Sororis Stephaniae omnibus videbatur irreparabilis atque infausta edicta est prognosis quoad vitam.

Stantibus rebus angustis, eius Sorores inductae sunt ut Beatum Fundatorem invocarent, eius intercessionem rogantes ad sanationem Sororis Stephaniae obtinendam; hac fervida in oratione Sorores secum et fideles et

pueros qui aegram cognoverant traxerunt. Praeter exspectationem vix septem diebus post extremum in valetudinarium receptum, aegra animadvertit salutis mirabilem progressionem, quae se confirmavit usque ad perfectam sanationem.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati Sigismundi Felicis Feliński invocationem et sanationem Sororis Stephaniae, quae deinceps usque ad hodiernum diem sana est et ordinariam vitam socialem agit.

De sanatione quae statim mira est habita, iuxta Curiam Cracoviensem a die 15 Octobris usque ad diem 23 Novembris anno 2004 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per decretum diei 11 Martii anno 2005 est approbata.

Consilium Medicorum huius Dicasterii, post tres sessiones dierum 22 Martii et 5 Iulii anno 2007 et 24 Ianuarii 2008, omnibus dubitationibus solutis, declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 27 Iunii 2008 Congressus actus est Peculiaris Consultorum Theologorum, cum exitu positivo, atque die 4 Novembris 2008 Ordinaria in Sessione se congregaverunt Patres Cardinales et Episcopi, Causae Ponente Exc.mo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo emerito Centumcellarum-Tarquiniensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum Theologorum sive Cardinalium et Episcoporum posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Sigismundi Felicis Feliński, Archiepiscopi titularis Tarsensis olim Archiepiscopi Varsaviensis, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Familiae Mariae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Sororis Stephaniae Zelek a « grave anemia aplastica acquisita, farmaco-indotta, con estrema povertà cellulare del midollo osseo, complicata da polmonite bilaterale e scompenso di circolo, in soggetto di 70 anni con diabete, ipertensione arteriosa ed ischemia cardiaca ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

BRIXIEN.

Canonizationis Beati Archangeli Tadini, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Operariarum a S. Domo Nazaretana (1846-1912)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Archangelus Tadini natus est in oppido, quod vulgo dicitur *Verolanuova* intra dioecesis Brixiensis fines die 12 Octobris anno 1846. Die 19 Iunii anno 1870 praesbyter ordinatus est Tridenti.

Incepit suum ministerium suas vires et sedulitatem conferens ad pastoralem paroecialem, quam auxit novis variisque operibus spectantibus ad fidelium humanum et spiritualem proventum, praedicatione (fuit enim homo eximius in arte oratoria) et operibus beneficis sodalicii et societatis. Omnino exquisivit unitatem et libertatem paroeciae, quae ab eo semper institutio apta ad hominum primarias satisfaciendas necessitates existimabatur.

Beati interior unitas comprehenditur in absoluto sui dono Dei regno et bono eius populi. Excitatus est enim ab encyclica «*Rerum Novarum*» Summi Pontificis Leonis XIII anni 1891 et interpretans signa temporum, rationem instituit et aedificavit lanificii officinam, cum annexo collegio ad iuvenes puellas laborantes accipiendas et ad eorum dignitatem fovendam, nec non ad honeste instituendas Congregationem Sororum Operariarum a S. Domo Nazaretana fundavit.

Mortuus est crescenti existimatione sanctitatis comitatus die 20 Maii anno 1912. Quem die 3 mensis Octobris 1999 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Beatum declaravit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram quandam sanationem, quae anno 2004 Brixiae contigit.

Casus pertinet ad sanationem non coactam et constantem a comprobata sterilitate coniugum Fostini Elisabeth undetricesimum aetatis agentis annum et Marazzi Roberti quintum et tricesimum aetatis annum agentis. Coniuges anno quarto postquam in paroecia Sancti Philippi Nerii in pago *Ciliverghe* in finibus dioecesis Brixiensis die 5 Februarii anno 2000 matrimonium religiosum celebraverant, summa cupiditate expetiverunt et sua sponte temptaverunt magnam familiam ortu liberorum perficere, huic rei tamen eorum physiologicae condiciones obstiterunt.

Diuturnis clinicis scrutationibus se subiecerunt coniuges sine tamen diagnosis mutatione.

Medici ad ultimum proposuerunt ut iuxta sedem ad causam morborum inveniendam Montis Clari (Valetudinarii Civilis Brixiae) perscrutationibus ulterioribus subicerentur, tamen diagnosis adversa edita est propter gravem condicionem defectus ob paucitatem seminalem, quae inhabilis videbatur ad generationem per medicam curam inductam.

Coniuges interea cognoverant et frequentaverant sodalicium pastorale « Familiae Beati Tadini » domi Sororum Operariarum, inde inceperunt notitiam habere Beati Tadini et invocationes ad eundem Beatum adhibitas a sodalitate, a coniugibus et a sororum congregatione ad sanationem a sterilitate impetrandam. Inter orationes et occursationes coniuges collocuti sunt cum sacerdote, qui ad dioecesanam familiarum pastoralem se dabat, cui ostenderunt consilium desistendi a methodo valetudinarii Montis Clari propter rationes fidei et Christianam doctrinam de moribus.

Orationes quae fide et unitate sublatae fuerunt miraculum optatum assecutae sunt et exauditum est desiderium progeniei coniugum.

Enim naturalis graviditatis condicio primae filiae Mariae, quae Brixiae nata est die 5 Augusti 2005 et secundi filii Ioannis, qui Brixiae natus est 3 Decembris 2006, omnino existimanda est « inexplicabilis secundum scientiam et sine collatione in memoria medicorum documentorum ».

Inquisitio dioecesana huius casus celebrata est Brixiae die 16 Iulii anno 2006 et Congregatio de Causis Sanctorum iuridicam validitatem huius Inquisitionis per decretum editum diei 24 Novembris anno 2006 approbavit.

Consilium Medicorum huius Dicasterii, in sessione die 15 Novembris anno 2008 habita, omnium consensu declaravit «*condicionem inexspectatam determinationis primae et secundae graviditatis sine auxilio peculiaris curationis mutantis statum extantis pathologiae, casum ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse*».

Congressus actus est Peculiaris Consultorum Theologorum die 22 Aprilis anno 2008 atque in Ordinaria Sessione die 28 Aprilis 2008 se congregaverunt Patres Cardinales et Episcopi, Causae Ponente Exc.mo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo emerito Veliterno-Signino. Et in utroque Coetu sive Consultorum Theologorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est cum addictione huius casus ad intercessionem Beati Archangeli Tadini.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Archangeli Tadini sacerdotis fundatoris Congregationis Sororum Operariarum a S. Domo Nazaretana, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione coniugum Fostini Elisabeth et Marazzi Roberti a «sterilità di coppia multifattoriale, perdurante da 4 anni»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

PALENTINA

Canonizationis Beati Raphaëlis Arnáiz Barón, Fratris Oblati Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiae (1911-1938)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Raphaël Arnáiz Barón die 9 mensis Aprilis, anno 1911, Burgi, in Hispania, e satis locuplete familia natus est, quae eum christianis praeceptis optime educavit. Hic vero, cum praesertim ad effingendi artes proclivis esset, scholis ad exitum perductis, ordini architectorum Athenaei Matritensis nomen dedit.

Interea ipse, cum animadverteret sese ad umbratilem vitam, caelestium rerum contemplationi deditam, divino quodam instinctu vocari, animi sui velut aures pientissime erexit, qui cum supernam de se voluntatem dignosceret, tum suam ad sacra munera vocationem exquireret. Itaque die 15 mensis Ianuarii, anno 1934, ingressus est Raphaël Cisterciense asceterium in loco, quem appellant *San Isidro de Dueñas*; ipse vero, aliquot post menses, graviore mellito, qui fertur, diabeta in eum ingruente, ut ad suos rediret adductus est. Quem quidem morbum cum tali vi fideque et summo divinae voluntatis obsequio acciperet, non solummodo magis magisque ad formam conversationis accessit, verum etiam hoc petiit et consecutus est, ut denuo, etsi tamquam oblatus tantum, coenobio ascisceretur. Hic autem Servus Dei, summo sanctae precationis studio diem ex die fretus, cum Regulae formam persequi fideliter, tum ingravescentem morbum aequo animo ferre valuit. Extremam vero aetatem ipse, Crucis mysterii particeps intime factus, in animi intentione ipseque per labores, in asceterii valetudinario deguit.

Pie requievit die 26 mensis Aprilis, anno 1938, in loco, quem appellant *San Isidro de Dueñas*. Cui quidem Dei Famulo Ioannes Paulus II, Summus Pontifex, Beatorum caelitum honores concessit anno 1992.

Cum autem eius Canonizationi prospiceret, Postulatio Causae sanationem, quae eodem Beato deprecante a Deo patrata ferebatur, huic Congregationi subiecit expendendam. Quod quidem, anno 2001, factum est D.nae Begoniae Léon Alonso, mulieri annorum unius ac triginta, quae, cum iterum ventrem ferret, variis difficultatibus assidue orientibus, in Matritense valetudinarium saepius perducta est. Et iam perventum erat ad tricesimam alteram hebdomadam partus, cum, ingravescentibus rebus, medici, necessitate coacti, gravidam mulierem caesarea sectione curarunt; re vero, cum neuro-

logica, tum respiratoria, amplius ingravescente, status clinicus praegnantis ita in peius mutatus est, ut ipsa obtorpescens in vitae discrimine versaretur.

Ob tantam igitur desperationem amici et propinqui infirmae Beatum Raphaëlem, cui quidem peculiarem ipsa pietatem adhibebat, maxima religione, invocarunt, qui non solummodo petiere ut sanatione mulier donaretur, verum etiam alios christicolas, presbyteros, devotas virgines, laicos denique, in eiusmodi supplicationem secum ipsi traxere. Tunc vero, cum ex improviso D.na Begonia lethargico somno excitaretur, cursus rerum clinicus, et hic mirum quidem in modum atque repente, exiguo spatio dierum in melius mutatus est, adeo ut mulieri, e valetudinario dimissae, brevi tempore consueta opera resumere liceret.

Constant enim concursum temporis et contextum esse inter supplicationes, quibus Beatus Raphaël invocatus est, et sanationem D.nae Begoniae Léon Alonso, quae nunc non optima dumtaxat valetudine utitur, sed iustam, praesertim quoad aliorum commercium attinet, vitam degere potest.

Qua de sanatione, pro miro habita, in Curia Palentina, a die 9 mensis Aprilis, anno 2005, ad diem 7 mensis Maii, anno 2006, Inquisitio dioecesana instructa est, cuius vim praesens Congregatio ratam habuit per Decretum die 30 mensis Novembris, anno 2006, latum. Consilium autem Medicorum, quod apud idem Dicasterium habetur, cum sederet die 13 mensis Martii, anno 2008, agnovit sanationem, de qua agitur, celerem, perfectam stabilemque fuisse, eandem vero ex hodiernis artis cognitionibus explicari non posse. Deinde vero, die 7 mensis Iunii, anno 2008, Theologi Consultores in Peculiarem, qui dicitur, convenere Congressum. Quorum quidem favorabilem sententiam Purpurati Patres et Antistites, die 4 mensis Novembris, anno 2008, in Sessione Ordinaria congregati, Exc.mo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, Causae Ponente, confirmarunt.

Et in utroque Coetu, tam Consultorum Theologorum quam Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congressionis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Raphaëlis Arnáiz Barón, Fratris Oblati Ordinis Cisterciensis Strictioris Observantiae, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione D.nae Begoniae Léon Alonso a «preclampsia in gestante alla 32ª settimana*

complicata da sindrome de Hellp (emolisi, enzimi epatici elevati, piastrinopenia), distress respiratorio con grave ipertensione polmonare, sepsi, deterioramento delle funzioni cerebrali ».

Mandavit insuper Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

NEAPOLITANA

Canonizationis Beatae Catharinae Volpicelli, Fundatricis Ancillarum a Sacro Corde (1839-1894)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Catharina Volpicelli die 21 mensis Ianuarii anno 1839 Neapoli est nata, e familia quadam altioris ordinis. Educationem accepit in morali ambitu sano atque conscio christianoque vitae sensu illuminato, humanam maturavit institutionem, Regale frequentans Collegium Sancti Marcellini. Hoc tempore, etiamsi socialem participavit vitam iuxta suam condicionem, clarius in dies vocationem sensit ad vitam religiosam, ita ut viginti et unum annos nata monasterium nativa in urbe sit ingressa. Brevi tamen, ob adversae valetudinis causam, coacta est ad familiam regredi. Agebatur quadam de spiritali probatione, a Divina Providentia parata, quam Catharina prompto cum animo accepit. Aliquot post annos, beata quandam cognovit societatem « Precis Apostolatum », nuper in Francogallia natam; cui adhaerens occasionem invenit atque stimulum ad spiritualitatis societatem Neapoli instituendam. Ob vehementem devotionem eucharisticam Catharina expressit sine condicione erga Cor Iesu dilectionem, cuius efficacior fructus Institutum erit Ancillarum a Sacro Corde, apostolatui caritatis dicatum erga pauperes et

dolentes, evangelizationi, pastorali familiari et animarum sanctificationi. Praesertim intenta iuvenum necessitatibus atque culturali novarum generationum progressioni, Catharina condere studuit orphanotrophium, bibliothecam itinerantem atque Societatem Filiarum Mariae. Pie in Domino die 28 mensis Decembris anno 1894 Neapoli obdormivit. Summus Pontifex Ioannes Paulus PP. II die 29 mensis Aprilis anno 2001 beatae honores tribuit illi.

Postulatio Causae, Beatae prospiciens Canonizationi, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem Dominae Teresiae Ruggiero, quae mense Martio anno 2002 laesione est affecta pedis dexteri crus quoque afficiente, unde febris orta est simul cum acerbo dolore. Curationibus non obstantibus, vulnus in dies ingravescebat ita ut de subitanea amputatione cogitaretur, attento quoque statu valetudinis mulieris infirmae. Statim cum de morbo sciret, illa, semper devotionem erga Beatam Volpicelli ostendens, coepit eam ferventer et fiduciose invocare, parvam tenens eius reliquiam, atque rogans, ea intercedente, aut sanationis donum aut mortem subitaneam, ob intolerabilem dolorem ex vulnere exortum. Inopinanter, uno circiter transacto mense, mane diei 21 mensis Aprilis Domina Ruggiero se sine dolore levavit; immo, ulcus prorsus sanatum atque febrem sublatam; quod quidem medici et aegrorum ministri stupentes comprobarunt.

Evidens exstat congruentia atque nexus inter invocationem ad Beatam et Teresiae Ruggiero sanationem, quae, post eventum, suam in pristinam valetudinis condicionem rediit atque normalem necessitudinum vitam usque ad mortis diem gessit.

De sanatione, quae mira est habita, Inquisitio dioecesana a die 15 mensis Martii anni 2004 ad diem 25 mensis Maii anni 2006 apud Curiam Surrentinam-Castri Maris aut Stabiensem est instructa, cuius iuridica validitas ab ista Congregatione per Decretum diei 24 mensis Novembris anno 2006 est approbata. Consilium Medicorum huius Dicasterii, in sessione die 20 mensis Decembris anno 2007 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam ac permanentem, nec non sub luce scientiae medicae huius aetatis inexplicabilem fuisse. Die 29 mensis Aprilis anno 2008 Congressus habitus est peculiaris Consultorum Theologorum, cuius positivus exitus die 18 mensis Novembris anno 2008 confirmatus est a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Ordinaria Sessione congregatis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo emerito Veliterno-Signino.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum Theologorum sive Cardinalium et Episcoporum posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Catharinae Volpicelli, Fundatricis Ancillarum a Sacro Corde, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Teresiae Ruggiero a « ulcera trofica profonda infetta del piede e della gamba destra »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

CREMONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Hyacinthi Bianchi, Presbyteri dioecesani et Fundatoris Instituti Sororum Filiarum Mariae Missionalium (1835-1914)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Conserva me, Deus, quoniam speravi in te. Dixi Domino: "Dominus meus es tu, bonum mihi non est sine te". [...] Dominus pars hereditatis meae et calicis mei: tu es qui detines sortem meam. Funes ceciderunt mihi in praeclaris; insuper et hereditas mea speciosa est mihi » (*Ps* 16, 1-2. 5-6).

Experientia unius super eum dominatus Domini, quae clarius antiqui levitae Israëlis verbis exprimitur, mira cum singularitate conversatione ac spiritualitate Servi Dei Hyacinthi Bianchi personat: nam, itineris tempore sui

in mundo, instanter et una cum fidenti suipsius in manus Divinae Providentiae traditione perfectionem christianam quaesivit atque, sacerdotis exemplar eximium, communitatem ecclesialem habuit altissimam hereditatem, quam Iesus Bonus Pastor eidem committere posset.

Servus Dei in vico *Villa Pasquali* apud Mantuam die 15 mensis Augusti anno 1835 natus est et insequenti die in ecclesia paroeciali loci ad baptismalem fontem ductus.

Familia eius rustica quaedam erat saeculi XIX, quam paupertas litterarum pecuniaeque et dives vero pietas religiosa informabant. Infantia Servi Dei in hac salubri simplicitate degit morum, quae animum pueri usque ad magis magisque percipienda signa vocationis eius ad presbyteratum corroboravit. Hyacinthus enim orationi valde proclivis erat, docilis et familiaris moribus, praesentiae necessitatumque aliorum perprovidus: eius in indolem, natura benignam, gratia divina intente se inseruit, quae ubertatem produxit fructuum.

Pueritiae annis, Confirmationis et Primae Communionis recepit sacramenta et adulescens scholam rite frequentavit. Iam duodevicesimum agens annum aetatis, tamquam alumnus Seminarium dioecesanum ingressus, paulatim perfecit voluntatem suam ut sacerdos fieret. Institutionis cursu peracto, denique, annos viginti tres natus, presbyteratu auctus est.

Licet infirmae esset valetudinis, in medium vitae pastoralis ex inopinato coniectus est, praesertim coadiutoris fungens munere plurimis in paroeciis et magno cum gaudio omnem navitatem in apostolatum profundens, speciali modo de novissimis societatis instantiis sollicitus, quae iamiam super viam mutationum perrexerat intimarum difficiliumque et alioquin graves effectus quoad religionem prodituirarum. His in adiunctis, iuvenis sacerdos urgentiam non modo institutionem spiritualem fidelium curandi intellegebat, sed eorundem etiam, praesertim mulierum, socialem provectum. In corde ac mente eius propositum itaque paulatim efformabatur — quod funditus postea confecturum erat — aggregationes ecclesiales mulierum suscitandi, quae vero vitam consecratam prospicerent. Cum autem difficultates dissensionesque quaedam ex parte Auctoritatum initium cepissent, Hyacinthus, Superiorum consensu, Ianuam transvehi praetulit, ut specie etiam aërem sibi salubriorem inveniret. Urbs et archidioecesis Ianuensis, ergo, Servi Dei factae sunt patria adoptionis.

Mutato caelo, zelo imperturbato Hyacinthus variis ministerii sui muneribus se immiscuit, videlicet celebrationi Reconciliationis et consociationum marialium laicorum incremento, quibus diversas apud paroecias et domus religiosas hospitium paravit, et, vehementi missionario impulsui indulgens, omni studio praedicationi ad populum dedit operam. Voluntas hic Institutum quoque fundandi Filiarum Mariae Missionalium intellegitur, quas eadem sollicitudine apostolica sua induit atque assidue, insequentibus annis, animo corroboravit, earum visitans domus in ipsa Terra Sancta, ingentibus suipsius posthabitis aerumnis.

Praedicationi deditus, Servus Dei demum Pineam venit, ubi magna frux, quam apud populum promeruit, effecit ut Episcopus ipse Ventimiliensis ab eo peteret ibi commorari eumque oeconomum-rectorem paroeciae loci nominaret. Quo in vico Hyacinthus amplos attrahere potuit ordines atque magna sua in re sive pastorali sive culturali sive sociali emicuit navitate, necnon integerrimae beneficii sui recusationis testimonio miraeque benignitatis. Commoratio Pineae infauste, tamen, consummata est: nam, discidia quaedam, usque in opprobria et iniquas in irritae sublationis calumnias adeo adauxerunt, ut Auctoritas publica per dolum illiceretur gravissimas decernere castigationes, quarum vincula apex fuit. Etiam his in angustiis non modo plena Servi Dei innocentia promptissime eluxit, sed ipsa eius magnanimitas in omnes, spiritus abnegationis, mansuetudo cordis indulgentiae ignoscentiaeque semper prompti.

In ultimis annis vitae, qui aliis translationibus novos in locos signati sunt, aequo animo Hyacinthus ecclesiali ministerio institit, praedicationi et impensiori curae operis religiosae ab ipso fundati. Ingravescente valetudine, dolores corporis et iam graves molestiae auxerunt, numquam vero deficiente spirituali vi illa, quae totam vitam eius aluerat: omnibus enim in adiunctis, Hyacinthus vere virum Dei sese ostendit, penitus spiritu permotum caritatis oratione humilitateque et paenitentia conformatae.

Ab omnibus defletus, die 11 mensis Februarii anno 1914 in ipso natali humo, ubi tandem se receperat, in Domino obdormivit. Iter eius per mundum inter dies processit duorum Beatae Mariae Virginis festorum, scilicet Assumptionis et memoriae Immaculatae Conceptionis de Lapurdo in ipso anno institutae, quasi signum benevolentiae Matris Dei, quam Hyacinthus filiali dilectione amaverat et veri apostoli fervore docuit amare.

Ob eius sanctitatis famam, a die 7 mensis Octobris anno 1949 usque ad diem 28 mensis Septembris anno 1962 apud Curiam Cremonensem Processus Informativus celebratus est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 17 mensis Maii anno 1991 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 17 mensis Februarii anno 2006, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 22 mensis Ianuarii anno 2008, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Salvatoris Boccaccio, Episcopi Frusinatensis-Verulani-Ferentini, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Hyacinthi Bianchi, presbyteri dioecesani et Fundatoris Instituti Sororum Filiarum Mariae Missionalium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fleri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

LISBONEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Clarae a Iesu Infante (in saec.: Libaniae Carmelitidis Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium Hospitalariarum ab Immaculata Conceptione (1843-1899)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum. Exquisivi Dominum, et exaudivit me et ex omnibus terroribus meis eripuit me. Respicite ad eum, et illuminamini et facies vestrae non confundentur » (*Ps* 34, 4-6).

Laetitia ex corde antiqui Israëlis psalmistae coram divinae Providentiae revelatione in historia erumpens mira cum singularitate vitae operibusque Venerabilis Servae Dei Mariae Clarae a Iesu Infante personat, quae enim valde obstupescens benigni auxilii mysterium invenit a Deo ad omnem creaturam reservati, quod optatissimum ipsa valuit in conversationis sive intimae sive communitariae rationem transferre.

Venerabilis Serva Dei in vico *Amatrice* apud Ulyssiponem die 15 mensis Iunii anno 1843, tertia ex septem filiis, e nobili genere nata est et die 2 insequentis mensis Septembris in ecclesia paroeciali Beatae Mariae Virginis Dominae Nostrae a Succursu intra fines illius regionis urbis Beneficae nuncupatae ad baptismalem fontem Libaniae a Monte Carmelo nomen accepit.

Pueritiam pacata et suavis degit, temporibus vitae familiaris moderata atque optima fidei institutione inflata. His in adiunctis rerum et Deum et Beatam Virginem et Sanctos amare didicit et seipsam proximo porrigere, qui maxime adflictionibus ac paupertate laborabat. Et Libania, tamen, citius cruciatibus vulnerum; vexari incepit, cum aliqui cognationis sicut et ipsi parentes eius brevi spatio temporis parumper obierunt. Haec vero profunde animum eius affecerunt, quod vero erga doloris mysterium magis humanitate repleverunt, et simul indolem puellae corroborare valuerunt: fortitudo enim et spes, una cum lacrimis tantos ob graves et inopinatos luctus effusis in vultu eius iugiter fulserunt.

Parentibus orbata, Libania a Monte Carmelo, dum quintum decimum aetatis annum agebat, Ulyssipone recepta est in Asylum Regium pro Orphanis auxiliandis, quod Gallicas Sorores Filias Caritatis gerebant, ubi, dum

eximia culturali humanaque optimo eius generi consentanea institutione edocebatur, consciam quoque spiritualem firmare potuit doctrinam.

Anno 1862, Institutum reliquit et in Palatium Valada uti nobilis domina Marchionissam comitans eiusque familiaris recepta est. Libania vero animo consilium volvit Deo se consecrandi religionemque amplectendi, urgentem animadvertens vocationem ad vitam omnino orationi ac servitio proximi deditam. Paucis post annis, igitur, in Conventum Sancti Patricii Ulyssiponensem apud Moniales Capuccinas ab Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis secessit, inter quas dein habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci induit et nomen religiosum Mariae Clarae a Iesu Infante sumpsit.

Itineri eius progressionis spiritualis primum intulerunt impedimentum leges civiles Lusitaniae, quae in illo tempore adeo hostilitate contra Ecclesiam fungebantur, ut omnem vitam religiosam prohiberent. Has inter difficultates moderator spiritualis Fraternitatis statuit, ut Serva Dei ad Congregationem Gallicam confugeret, scilicet ad Sorores Hospitalarias et Magistras Sancti Francisci, apud quarum monasterium Caleti admissa est ad novitiatum et vota religiosa emisit.

Cum Lusitaniam rediisset, Soror Maria Clara a Iesu Infante Superiorissa Conventus Sancti Patricii nominata est et, sub prudenti moderatoris spiritualis consilio, magnae illius communitatis Capuccinarum instaurationi vacavit, ex qua nova Congregatio Sororum Lusitanarum Franciscanarum Hospitalariarum ab Immaculata Conceptione exordium sumpsit, quae confirmata est secundum ius civile uti Consociatio beneficae voluntatis et mox, Beati Pii IX Summi Pontificis auctoritate, recognitionem Apostolicae Sedis recepit.

Brevi tempore Congregatio vocationibus operibusque caritatis insigniter floruit et extra Lusitaniam etiam crevit, in Angola, India, Guinea, Insulis Capitis Viridis et Sancti Thomae necnon ubicumque misericordia erga egenos expeteret Sorores diffundens.

Morae vero et cuiusvis generis difficultates haud defuerunt, quae inevitabiliter in ipsa Congregatione extulerunt. Neque eo magis, tamen, Serva Dei tranquillitate animi exuit, magis immo divinae voluntati adhaesit, tantum bono spirituali Sororum apostolicisque operis omni studio attendens, quas omnes oratione, consilio et praesertim summa suipsius abnegatione summopere aluit. Plurimis in adiunctis Mater Maria Clara a Iesu Infante ostendit aequitatem extraordinariam, intellectum callidum, recapitulationis

virtutem sapientem, sensum maternum, benignitatem, fervorem et sobrietatem vitae.

Summis mentis spiritusque praedita dotibus, Deo ac regno eius omnino sese consecraverat, spiritualitatem suam peculiariter expromens ex intima sponsali consuetudine cum Iesu, cuius sacratissimum Cor fulcrum cogitationum actuumque omnium ei erat; ex profundo nexu cum Cruce Iesu, quam in tacita humanaque patientia summopere ipsa communicavit; ex indefessa fide Providentiae, cuius sese putabat humile instrumentum; ex moribus magnae suae sollicitudinis in omnes, etiam in obtrectatores vexatoresque, quos, licet eorum ingratitudine percussa, semper dilexit atque ignovit.

Potissime pauperes atque aegroti cordi ei fuerunt, pro quibus operam suam findavit, omnimodo enitens, ut religiosas ipsas Congregationis ditaret principiis, quae eius quoque vitae facti erant cardines.

Tantis tamen corporis animaeque aerumnis paulatim correpta est valetudo, ut morbi varii sive pulmonum sive cerebri se paulatim ostendere inciperent, usque ad infartum quod eam Domino commisit.

Mense ante mortem ultimas Litteras circulares consororibus suis rettulerat, in quibus rationem praecipuam itinerarii interioris sui reliquit in illo « Nihil fit in mundo sine licentia Dei ».

Die 1 mensis Decembris anno 1899, receptis sacramentis, Ulyssipone pie in Domino obdormivit, prima feria sexta illius mensis Cordi Divini Sponsi consecrata.

Exsequiis eius ingens sacerdotum, religiosarum ac laicorum cuiusvis ordinis multitudo interfuit, quae clarum testimonium praebuit famae eius sanctitatis, quae iam vitae tempore Servam Dei comitata erat.

Hanc ob multiplicatam in annos sanctitatis famam, qua post mortem fruita est, a die 18 mensis Decembris anno 1995 usque ad diem 12 mensis Novembris anno 1997 apud Curiam Ulyssiponensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 6 mensis Novembris anno 1988 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 1 mensis Februarii anno 2008, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Octobris anno 2008, audita relatione Excellentissimi Domini Laurentii Chiarinelli, Episcopi Viterbiensis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodiern die declaravit: *Constare de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico Servae Dei Mariae Clarae a Iesu Infante (in saec.: Libaniae a Monte Carmelo Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque), virginis et Fundatricis Congregationis Sororum Franciscanarum Hospitalariarum ab Immaculata Conceptione, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

BARCINONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iosephi Tous y Soler sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Fundatoris Sororum Capuccinarum a Matre Divini Pastoris (1811-1871)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me. Vere pacatam et quietam feci animam meam; sicut ablactatus in sinu matris suae, sicut ablactatus, ita in me est anima mea. Speret Israel in Domino ex hoc nunc et usque in saeculum*» (*Ps* 131).

Sublimis spiritualis gradus, qui ex miris Psalmistae verbis profluit, plane componitur cum conscientia vitae simplicis et humilis, in qua, consueto cotidianae vitae cursu, testimonium de Domino ostenditur et effunditur usque ad spei confines in bonum totius communitatis populi Dei. Haec ipsa est summa proprietas vitae et spiritualitatis Servi Dei Iosephi Tous y Soler, qui non eventibus extraordinariis vel peculiaribus dotibus eminet, sed continua ac prorsus solita conversatione, et simul sedulitate et gratuita largitate.

Aqualatae, ex Catalauniae Provincia, prope Barcinonem Servus Dei natus est die 31 mensis Martii anno 1811, et ibidem sequenti die Baptismatis sacramentum recepit apud paroeciam Sanctae Mariae, quo in ritu nomina assumpsit Iosephi, Nicolai, Iacobi.

Illius familia admodum copiosa erat, nec non opibus potens ac christiano praesertim sensu confirmata. Idcirco, Iosephus simplicem ac serenam gessit infantiam intra domesticos parietes in quibus humani et christiani valores sponte docebantur et assumebantur. Deinde, postquam ad Eucharisticum convivium primo accessit et sacro chrismate est unctus atque rudimenta litterarum didicit, maiorem in dies de vita religiosa sollicitudinem ostendit. Illis annis, quandoquidem pater eius quoddam praedium administrabat, primum habuit accessum ad ambitum laboris. Consuetudinem per familiare et serenum colloquium suscipiens cum operariis, praeter gravitatem experientiae laboris, percipere coepit sacrificium defatigationis, spiritum cooperationis, sensum iustitiae: quae elementa nullo umquam tempore in pueri Iosephi formationem conferre cessabunt.

Socialis tamen vita minus serena videbatur, quoniam tempore illo Catalaunia certabat adversus irruptionem Francogallicam. Conflictationibus absolutis, familia Servi Dei, laboris vitam explicare cupiens, Barcinonem se transtulit.

Hic enim Iosephus iam adulescens frequentare coepit conventum Fratrum Minorum Capuccinorum, ubi ita franciscalis vitae forma est seductus ut, precibus praevie admotis, admissus sit ad Novitiatum Provinciae Catalauniae; ibi enim religiosum induit habitum, Ildefonsi nomen accipiens; postea emisit professionem religiosam et, sacrae ordinationis intuitu, institutionale iter explevit. Sacro presbyteratus ordine est insignitus die 24 mensis Maii anno 1834. Novellus presbyter in Barcinonensem conventum Sanctae Matronae se transtulit.

Bello licet composito, sociales et politicae contentiones non minuerunt, sed contra in dies acerbiores factae sunt et in veram ruerunt persecutionem adversus Ecclesiam ac peculiari vehementia contra Ordines Religiosos. Etenim omnis generis tumultus sunt exorti, contentiones ideologicae, suppressiones conventuum, destructiones et incendia, exclaustratio fratrum et sororum, internecio sacerdotum, exsilia inflicta. Servus Dei in carcerem coniectus est simul cum aliis confratribus et ulterius ex Hispania est expulsus. Refugium quaesivit prius in Francogallia, deinde etsi breviore periodo in Italia, percurrens varios conventus usque ad tempus quo Barcinonem redire potuit; tunc ibi clero dioecesano incardinatus est et pastorale ministerium explicavit variis in paroeciis, attamen tam in corde quam in modo sese gerendi «frater minor capuccinus» iugiter permansit, arte ac constanter franciscali charismati adhaerens etiam extra structuram institutionalem.

Assiduo orationis et recessus spiritu fovebatur ministerium Servi Dei, qui, arte coniunctus cum Ecclesiae Pastoribus, sese effundebat in infantiae et iuventutis servitium. Peculiarem in modum prospexit condicioni mulierum, detegens eas acuta culturali tarditate esse affectas. Sub huius intuitionis lumine diversa eius percipi possunt incepta, ex quibus eminet consilium condendi in oppido *Ripoli* Institutum Sororum Capuccinarum a Matre Divini Pastoris, destinatum pauperibus puellis formandis et iisdem futuro dignitate pleno offerendo. Charisma spiritualis maternitatis ita delineabatur apud Virginis Mariae Boni Pastoris animarumque Matris scholam, quae cum assidua paedagogica activitate recte conciliatur. Pater Iosephus primos gressus conduxit novi Instituti, zelum diffundens et sacrificium in medio tribulationum omnis generis.

Quamvis valetudo P. Iosephi, plurima propter adversa, in peius celeriter rueret, spiritualitas eius magis magisque corroborabatur usque eo ut authenticae heroicitatis fastigia attingeret. Usitatum cuiusque diei propositum in eo erat ut Deum quaereret eiusque voluntatem. Imitatio Iesu Christi Boni Pastoris, qui gregem congregat et vitam pro ovibus ponit, exemplum erat eius vitae; eucharisticus et marialis cultus tam in prosperis quam in adversis diebus eius nutrimentum constituebat. Quatenus ad mitem et sensibilem modum sese gerendi, prominebant in ipso intrepida fides, fortitudo animi, austera vigilantia.

Barcinone e vita migravit die 27 mensis Februarii anno 1871: «soror mors» invisit eum ipso instanti quo eucharisticam peragebat celebrationem apud cappellam Sororum ab ipso conditarum. Propter hunc commotum eventum, eius decessus a plurimis perceptus est uti signum divinae praedilectionis et demonstrationis eius vitae interioris, quae contulerunt ad confirmandam sanctitatis famam qua, variis in rerum adiunctis, totam per vitam circumdatus fuerat.

Hanc propter famam, Barcinone instructa est Inquisitio dioecesana a die 10 mensis Iunii anno 1992 ad diem 16 mensis Iulii anno 1993, cuius iuridicam validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum vulgans die 20 mensis Ianuarii anno 1995. Exarata *Positione,* ex consuetudine disceptatum est num Servus Dei heroico gradu virtutes exercuisset. Positivo cum exitu habiti sunt sive Congressus Consultorum Historicorum die 4 mensis Iunii anno 2002 sive Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 7 mensis Martii anno 2008. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 18 mensis Novembris anno 2008 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Petri Iacobi De Nicolò, Archiepiscopi titulo Martanaënsis, edixerunt Servum Dei heroicum in modum theologales, cardinales eisque adnexas virtutes excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Tous y Soler, Sacerdotis Professi O.F.M. Cap., Fundatoris Sororum Capuccinarum a Matre Divini Pastoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

VICEN.

Canonizationis Beati Francisci Coll y Guitart sacerdotis professi Ordinis Fratrum Praedicatorum Fundatoris Congregationis Sororum Dominicanarum ab Annuntiatione B.M.V. (1812-1875)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Franciscus Coll y Guitart die 18 mensis Maii anno 1812 natus est in pago *Gombreny,* qui est in dioecesi Vicensi, in Hispania; iam inde a pueritia in dioecesis Seminario receptus est, deinde, interiore voce ad religiosum regimen impulsus, novicius Ordinis Sancti Dominici in religiosa Domo ab Annuntiata exceptus, quae Gerundae erat, vota professus est ibique in studia theologica diligenter incubuit.

Anno 1835 iniqua lege adversus ecclesiasticas institutiones a domu religiosa abstractus est, qua re, post sacerdotalem ordinationem, superiorum consilio atque consensu, in promptu fuit Episcopi Vicensis vicariumque paroecialem egit primum quidem in pago *Artés* deinde in loco *Moyá.* Eo tempore "Sodalitati Apostolicae" adhaesit, quae a S. Antonio Maria Claret instituta fuit et vehementem incepit operam praedicatoriam magnaque sedulitate favit exercitio "Deiparae Virgini Mariani Rosarii Perpetui" secum plurimos fideles trahens.

Die 15 Augusti 1856 in pago Vicensi Congregationem fundavit Sororum Dominicanarum ab Annuntiatione, quae praecipue ad institutionem pauperiorum se conferunt.

Vicensi in pago die 2 Aprilis 1875 mortuus est et in Beatorum numerum a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 29 Aprilis 1979 relatus est.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram quandam sanationem parvulae Mariae Rollán Lleó, quae oriens in quodam valetudinario Matritensi die 22 mensis Octobris 2002, rebus adversis, caesareo partu, se ostendit suffocatione affectam, pallore, languore et sine ulla neurologica responsione externis stimulis; statim in ipso valetudinario ad sedem puerorum recentium therapiae intensivae translata fuit.

Puellula tamen profectum salutis non ostendit, immo ob nimium concursum suffocatorium condicio in peius ruit atque infausta prognosis quoad vitam et quoad valetudinem edicta est.

Illis in difficilibus rebus parentes puellulae Mariae una cum quibusdam medicis et sororibus Dominicanis ab Annuntiatione, fervore intercessionem Beati Francisci Coll y Guitart invocaverunt eiusque imaginem pulvino morientis puellulae applicaverunt.

Quinque dies post ortum suum ex morbo distincte ac praeter exspectationem omnino convaluit, et post quindecim dies in plenitudine salutis dimissa est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati Francisci Coll y Guitart invocationem et sanationem Mariae Rollán Lleó, quae deinceps usque ad hodiernum diem, naturali sociali vita pollens, sana est.

De sanatione, mira aestimata, iuxta curiam Matritensem a die 28 Aprilis 2004 ad diem 13 Februarii 2006 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 12 Iannuarii 2007 est approbata. Consilium Medicorum huius Dicasterii in sessione diei 7 Decembris 2007 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem, sine effectibus in nervorum constitutione et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 22 Aprilis anno 2008 Congressus auctus est Peculiaris Consultorum Theologorum, atque die 7 Octobris 2008 in sessione Ordinaria se congregaverunt Patres Cardinales et Episcopi, Causae Ponente Exc.mo Domino Franco Croci Episcopo Potentino in Piceno.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Francisci Coll y Guitart, Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Praedicatorum et Fundatoris Congregationis Sororum Dominicanarum ab Annuntiatione B.M.V., videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Mariae Rollán Lleó a "sindrome ipossico-ischemica peri-partum con sindrome da aspirazione di meconio e insufficienza multisistemica".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

RHEDONEN.

Canonizationis Beatae Mariae a Cruce (in saec.: Ioannae Jugan) Fundatricis Congregationis parvarum Sororum pauperum (1792-1879)

DECRETUM SUPER MIRACULO

"Deus Sibi me quaerit! Opus quoddam mihi reservat quod nondum novi, opus hactenus non conditum". Verba haec, quae Ioanna Jugan uti responsionem ad petitionem matrimonii protulit, propositum eius significans quod ipsa a iuventute excoluit: Domino videlicet inserviendi atque se totam Ei devovendi Eumque corde indiviso diligendi. Huic consilio totam per

terrestrem vitam se conformavit et, ut divinae voluntati obsequeretur, cruces et contumelias libenter pertulit, usque ad altissima consequenda evangelicae perfectionis fastigia.

Die 25 mensis Octobris anno 1792 in pago v. d. *Petites-Croix,* prope *Cancale* (*Ille-et-Vilaine*), in Francogallia, est orta. Adhuc parva cum erat, eius frater, duae sorores et pater e vita discesserunt. Solius matris fuit ceteros filios alere.

Ioanna curricula apud Tertiarias Sancti Ioannis Eudes peragere coepit, a quibus fidei etiam accepit rudimenta. Adulescens paternam domum relinquere debuit ut ad familiam sustinendam aliquid afferret. Sicut coqua apud familiam nobilis stirpis adlaboravit in pago v. d. *San Colombo,* non longe a terra patria.

Anno 1817 Tertium Ordinem ingressa est Cordis Matris Admirabilis, a Sancto Ioanne Eudes conditum (1601-1680). Deinde locum adiit v. d. *Saint-Servan* ut in valetudinario v. *Rosais* operam navaret. Otii tempore munus implebat christianam doctrinam edocendi.

Anno 1823 servitio se dedit dominae Lecoq, quacum permansit, sicut amica et operis socia, duodecim fere annos. Ambae simul orabant et in itinere pietatis progrediebantur, in paroecia iuvabant infantes ad Primam Communionem; egentes invisebant. Post obitum huius piae mulieris, die 27 Ianuarii anno 1835 Beata domum conduxit in *Saint-Servan,* simul cum amica Francisca Aubert atque aegrotis curandis incubuit, quam aliae etiam sociae secutae sunt. Simul cum iis societatem quandam hospitalariam constituit, primo tempore "Servae pauperum" appellatam. Mense Maio anni 1840 moderatrix nominata est parvae communitatis, quae sequenti mense Octobri primam accepit approbationem.

Eius Regula inspirabatur Regula Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo; Beata societatem cum diversis huius religiosae familiae sodalibus iniit usque ad affiliationem assequendam cum Ordine Hospitalario. Eiusmodi Diploma anno 1841 est emissum et sequenti anno subsignatum.

Interea tamen Ioanna difficilem probationem pati debuit. Sacerdos Le Pailleur, nascentis operis nominatus consiliarius, eam decrevit substitui; quam ob rem die 8 mensis Decembris anno 1843 coacta est ut munus deponeret moderatricis, et ideo simplex facta est mendica. Omnia accepit singulari cum humilitate atque consueto studio huic exercitando muneri se dicavit.

Initiale nomen "Servae Pauperum" in "Sorores Pauperum" mutatum est atque singulae sodales communitatis publico ritu in religiosam ingressae sunt

vitam. Ioanna nomen sibi imposuit sororem Mariam a Cruce, operam pergens simplicis mendicantis quamvis prae omnium oculis superiorissa maneret. Brevi tempore Institutum maximam obtinuit diffusionem: communitates in multis Francogalliae urbibus sunt conditae ac deinde etiam extra Francogallicum territorium. Die 29 mensis Maii anno 1852 dioecesanam et die 9 mensis Iulii anno 1854 pontificiam approbationem accepit.

Anno 1852 Beata in Communitatem Matrem Rhedonensi in urbe est missa, quae, postea, anno 1856 in domum v. *La Tour-St. Joseph,* simul cum novitiatu, est translata. Hoc iter initium fuit eius recessus, qui usque ad mortem perduravit. Inter novitias sancte se gessit, haud communem virtuosum "habitum" ostendens: humilis enim exstitit, serena, bona, extraordinario zelo apostolico praedita.

Beata Jugan die 29 mensis Augusti anno 1879 in religiosa domo *La Tour Saint-Joseph* pie in Domino obdormivit, singularem significans spem se in amabilem Patris complexum acceptum iri, cui totam per terrestrem vitam cum gaudio amoreque inserviit.

Diffusam ob sanctitatis famam tam in vita quam in morte notam, atque post pium obitum confirmatam, die 4 mensis Novembris anno 1935 Processus Ordinarius Informativus dioecesi in Rhedonensi inceptus est, atque anno 1939 conclusus. Die 10 mensis Iulii anno 1970 perventum est ad Decretum Introductionis Causae publice vulgandum. Attamen elapso fere saeculo a morte Servae Dei, decretum est ne Processus Apostolicus instrueretur, et ut "Positio super virtutibus" pararetur, Comissione Historica Congregationis de Causis Sanctorum iuvante, et in eam critica methodo omnia documenta reperta insererentur et exhiberentur. Eiusmodi "Positio" anno 1976 est edita.

Die 13 mensis Iulii anno 1979 Summus Pontifex, Servus Dei Ioannes Paulus II, Decretum super heroicis virtutibus subsignavit atque die 11 mensis Maii anno 1982 Decretum super miraculo approbavit. Idem Pontifex die 3 mensis Octobris eiusdem anni ritum celebravit beatificationis.

Canonizationis intuitu, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum tradita est coniecta mira sanatio medici Eduardi Gatz, anaesthetici, ab adenocarcinomate oesophagi. Sanatio intercessioni Servae Dei est tributa et de eventu, qui mirus putatus est, Inquisitio dioecesana apud Curiam Omahensem a die 28 mensis Septembris ad diem 19 mensis Octobris anno 2005 est instructa, cuius iuridica validitas per Decretum diei 5 mensis Maii anno 2006 a Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Consilium Medicorum in sessione die 7 mensis Februarii anno 2008 habita, unanimiter agnovit sana-

tionem sub luce scientiae medicae huius aetatis inexplicabilem esse. Die 27 mensis Iunii anno 2008 Congressus habitus est peculiaris Consultorum Theologorum, positivo cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 4 mensis Novembris anno 2008, audita sententia Ponentis Causae Excellentissimi Domini Ioannis Pauli Benotto, edixerunt sanationem medici Eduardi Gatz iuxta scientiae medicae leges explicari non posse atque intercessioni beatae Ioannae Jugan esse tribuendam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Mariae a Cruce (in saec.: Ioannae Jugan) videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione domini Eduardi Gatz a "adenocarcinoma esofago-gastrico mala differenziato, con propagazione linfonodale, classificato al III stadio"*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

BUSCODUCEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Andreae van den Boer fratris professi Fratrum B.M.V. Matris Misericordiae (1841-1917)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat* [...]. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo et ne innitaris prudentiae tuae. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*» (*Prv* 3, 1-2. 5-6).

Haec, ad quae vetus ille sapiens Israeliticus hortabatur, mira evidentia resonant in vita ac pietate Servi Dei Andreae van den Boer, qui sane plena conscientia ita in educandi arte versatus est, ut, cum pro divino consilio tum pro iuniorum dignitate et humana et christiana provehenda, munere fungeretur.

Dei Famulus die 24 mensis Novembris anno 1841, in pago, quem appellant *Udenhout*, in Batavia, colonis parentibus, rerum quidem pauperibus, religione autem insignibus, ortus est; eodemque die ad fontem aquae salutaris adductus, nomine Ioanne Dei filius factus est. Idem vero in infantia, ac deinceps in pueritia, prorsus christiano habitu, cuius proprium esset sacris auxiliis assidue muniri, usus est; quod quidem effecit ut Servus Dei non aequa dumtaxat humanitate, sed prompta ad ea, quae identidem superna gratia operaretur in ipso, fieret facilitate.

Ceterum sub idem tempus magis magisque dilucide ad amplexandam religionem inclinatus animus perspici dabatur; quod quidem consilium Ioannes, licet minus prospera valetudine utens, summa alacritate capessiit. Ideo in Congregationem Fratrum Beatae Mariae Virginis Matris Misericordiae, in oppido, quod vulgo *Tilburg*, ut ascisceretur, postulavit; ibique ipse, habitum religionis indutus, Fratrem Andream nomen assumpsit. Anno autem 1860, expleto tirocinio, ex temporaria votorum formula sese pro fratre serviturum promisit.

Interea, magistri diplomate potitus, iussu moderatorum in collegium, quod apud castrum vulgo *Ruwenberg*, in pago, quem appellant *Sint-Michielsgestel*, quique infra Silvam Ducis, missus est. Ibi vero, sodalicii legibus ad amussim obtemperans, prius pro magistro, deinde pro praefecto, per annos quinquaginta institutoris munere functus, non solummodo humanus et gravis, verum etiam moderatus, sapiens ac simplex inventus est. Idemque

praeter doctrinam, scilicet ut adulescentes ad evangelii mentem efformarentur, ad scripta quaedam, probitatis exempla, edenda incubuit.

Adde quod talis vir, utpote silentii cultor et adorationis, adulescentibus sibi commissis auctor exsistebat, ut Augustissimum Altaris Sacramentum flagranti colerent religione, ut Mariam, Matrem Misericordiae, filiali pietate prosequerentur, denique ut Beato Ioseph singularem cultum adhiberent. Doctrina igitur efficax evadebat, quippe quae eius esset auctoritate et sustentata et confirmata. Praeterea Dei Famulus ad illuminandos animos multum valebat, qui ceterum omnibus adeuntibus opportuna consilia proponere solebat.

Vitam insuper cum humilitate, immo etiam latendo, degebat, dum cotidie iuxta religionis Regulam, maximo cum studio sodalium ac fratrum, officium suum praestabat. Cum autem in omnibus vitae adiunctis Frater Andreas fidem prae oculis haberet, ipsi sodales ac discipuli, pro constanti eius testimonio, viderunt eum non solummodo omni honore ac fide dignissimum, verum etiam singularis virtutis morumque sanctitatis virum exsistere. Etenim de sancta precatione, quam ipse flagranti diligentique animo facere solebat, Dei Famulus vires hauriebat, quibus, et pro religioso viro et pro institutore, ad summum pervehi niteretur. Praeterea, cum sibi ipse conscius esset se coram Domino vivere, Frater Andreas omnem vitam suam tradidit Illi, divino numini obtemperans, Eiusque providentiae commendatus. Hinc igitur est illud Andreae: «Quae Deus facit, ea semper bona esse».

Vertente autem mense Iulio anno 1917, Servus Dei, chronicis quibusdam infirmitatibus debilitatus, pulmonum quoque inflammatione superveniente, in morbum incidit. At usque in extremos dies arridens, aequissimo animo, uti mos eius erat, contemptis doloribus, tempus aegritudinis tulit. Quod quidem, patienter, amanter, fidenter susceptum, effecit ut iisdem languoribus, quos Sacratissimum Cor Iesu tulerat, re vera Andreas interesset. Subsequenti autem die 3 mense Augusto, in oppido vulgo *Tilburg*, in valetudinario quod erat in domo Congregationis, sex super septuaginta annorum vir pientissime requievit. Cuius transitum, haud secus ac sanctorum, universi luxerunt.

Ex huiuscemodi fama sanctimoniae, in dioecesi Buscoducensi Ordinarius Processus a die 1 mensis Augusti anno 1947 ad diem 11 mensis Decembris anno 1948, Apostolicus autem a die 19 mensis Ianuarii anno 1967 ad diem 31 mensis Octobris anno 1968, habiti sunt. Quorum et singulorum vim Congregatio de Causis Sanctorum ratam habuit per Decretum die 4 mensis Iulii anno 1975 latum. *Positione* confecta, more solito disceptatum est num Dei

Servus christianas virtutes, ipseque heroum in modum, exercuisset. Die autem 28 mensis Septembris anno 2007, felici quidem cum exitu, habitus est Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum. Purpurati denique Patres et Antistites, cum essent die 11 mensis Novembris hoc anno 2008 in Sessione Ordinaria congregati, audita relatione Exc.mi D.ni Francisci Croci, Episcopi tit. Potentini in Piceno, Causae Ponentis, agnoverunt Dei Famulum theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Andreae Van Den Boer, Fratris Professi Congregationis Fratrum Beatae Mariae Virginis Matris Misericordiae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Decembris A. D. 2008.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

TOLETANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Cyriaci Mariae Sancha y Hervás Archiepiscopi Toletani S.R.E. Cardinalis Fundatoris Congregationis Sororum a Caritate Cardinalis Sancha (1833-1909)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Cyriacus Maria Sancha y Hervás in *Quintana del Pidio,* prope Burgum in Hispania, die 18 mensis Iunii anno 1833, ex agricolarum familia, natus est. Privatis expletis curriculis, in Burgense exceptus est Seminarium loci v. "*Osma*". Sacerdos ordinatus anno 1858, in Cubam missus est, ubi, ob humanas aestimatus et sacerdotales dotes, canonicus nominatus est paenitentiarius cathedralis. Inter opera eius fundatio eminet Instituti "Hermanas de los pobres inválidos y niños pobres" (hodie "Religiosas de la Caridad del Cardenal Sancha") peculiariter dicatum indigentes curantibus. Anno 1873 in carcerem est coniectus ob oppositionem novo Archiepiscopo, quem rex Amadeus a Sabaudia elegerat palam Sanctae Sedis normas infringens. Libertate duos post annos accepta, in patriam est arcessitus ut Episcopus consecraretur: primum Auxiliaris fuit Toletanus, successive Ordinarius exstitit Abulensis, Matritensis et Valentinus. Infatigabilis fuit in eius episcopali missione: paroecias frequenter invisit, formationem cleri et vocationes curavit, Sororum Cisterciensium Strictioris Observantiae conventum instituit, multas scripsit epistulas, primos paravit Congressus Nationales Catholicos. Creatus denique Cardinalis, Archiepiscopus nominatus est Toletanus atque Hispaniae Primas. Amor erga pauperes et operarios incitavit eum ad scholas vespertinas pro eis condendas et ad propria bona distribuenda. Die 25 mensis Februarii anno 1909 Toleti pie in Domino obdormivit.

Postulatio Causae, Servi Dei prospiciens beatificationi, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem Mariae a Doloribus Bautista Polanco, quae mense Decembri anni 1981, iam aetate provecta et hospita apud domum pro senibus in *Mota* (in Republica Dominiciana) a Sororibus Cardinalis Sancha administratam, detexit se esse a tumore quodam affectam violacei coloris atque excrescentiam advertit in parte superiore auris dexterae. Hic pathologicus status, initio potius imminutus, velociter augere perrexit, inde suam ostendit indolem tumoris maligni cum aspectibus necroticis, qui patienti acutum quendam dolorem attulit

magnamque animi depressionem. Ob sanitarias domus difficultates, Domina Maria a Doloribus radiotherapeuticis curis subici non potuit, quapropter eius condiciones celeriter ingravescere coeperunt. Hac perpensa condicione quae insanabilis videbatur, noctu diei 17 Februarii anno 1982 soror quaedam, ad Congregationem pertinens a Servo Dei conditam, fervidam Domino effudit precationem ut patientem, intercedente Cardinale Sancha, sanaret: certa spe fisa Venerabilem Fundatorem eam non esse delusurum. Etenim, primis horis sequentis diei, gravi pathologia prorsus dilapsa, patiens plenam obtinuit sanationem.

Evidens exstat congruentia temporis atque nexus inter invocationem ad Servum Dei et Mariae a Doloribus Bautista Polanco sanationem, quae, post eventum, optimam habuit valetudinem nec ullam cum aure difficultatem subiit, usque ad diem mortis.

De sanatione, quae mira est habita, Inquisitio dioecesana apud Curiam Sancti Iacobi Equitum a die 10 ad diem 18 mensis Decembris anni 1985 est instructa, cuius iuridica validitas ab ista Congregatione per Decretum diei 13 mensis Decembris anno 1996 est approbata. Consilium Medicorum huius Dicasterii in sessione die 18 mensis Octobris anno 2007 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam ac permanentem, nec non sub luce scientiae medicae huius aetatis inexplicabilem fuisse. Die 16 mensis Maii anno 2008 Congressus habitus est peculiaris Consultorum Theologorum, cuius positivus exitus die 16 mensis Decembris anno 2008 confirmatus est a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Ordinaria Sessione congregatis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Cyriaci Mariae Sancha y Hervás, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Archiepiscopi Toletani, Fundatoris Congregationis Sororum a Caritate Cardinalis Sancha, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Dominae Mariae a Doloribus Bautista Polanco a "carcinoma squamocellulare del padiglione auricolare destro con base infiltrata di cm. 2,5 di diametro, con aspetto clinico ipercheratosico, a rapido accrescimento".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Ianuarii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

MEDIOLANEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Caroli Gnocchi presbyteri dioecesani et Fundatoris operis «Pro Iuventute» (1902-1956)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Carolus Gnocchi in vico Sancti Columbani ad flumen Lambrum die 25 mensis Octobris anno 1902 natus est. Vocationi ad sacerdotium humiliter consentiens, Seminarium Archidioecesanum Mediolanense ingressus est et anno 1925 presbyteratu auctus. Ministerium suum uti Vicarius paroecialis explere coepit, eodem vero tempore aliis quoque fungens muneribus, scilicet cappellani apud Institutum «Gonzaga» a Fratribus Scholarum Christianarum directum, professoris religionis, moderatoris spiritualis alumnorum Universitatis Studiorum, auctoris librorum de re catechetica ac paedagogica.

Postquam Italia anno 1940 bellum suscepit, nomen suum voluntarie uti cappellanus militum Alpinorum professus est atque expeditionibus primum contra Graeciam, dein contra Russiam interfuit. Bello confecto, funestis immanis eius roboris exitibus percussus pro mutilis orphanisque, quorum peringens prodita erat copia, nobili cum caritate strenuam navavit operam, illis in adiunctis «Opus fundatum pro Iuventute» incipiens, quod apud amplum collegiorum ordinem ab ipso suscitatum miseros illos destinaret, ut hospitio exciperentur atque assiderentur. Eodem tempore, omni ope atque viribus Servus Dei enisus est, ut plurima vulnera quoque spiritus leniret, et multa

curans scripta librosque sive de re spirituali sive de humana institutione et de paedagogia pristinam suam actuositatem auctoris renovavit. Gravi postremo tumore correptus, Mediolani die 28 mensis Februarii anno 1956 pie occubuit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum inexplicabilem subiecit casum superstitis Domini Sperandei Aldeni, qui, Modiciae die 17 mensis Augusti anno 1979, dum operi in officina quadam Ursenigii apud Novocomum intentus erat, ingentem in calamitatem ruit, cum immani electricitatis ictu altae tensionis ope vehementer percussus adeo toto corpore vibravit, ut humo deiceretur et varia eius membra adusta viderentur. Collegis opitulantibus, in valetudinarium translatus est, ubi plane casus gravitas visa est: perpensis, enim, itinere electricitatis et laesionibus partium vitalium eius corporis, in magno sane discrimine vitae infirmus versatus est.

Cum autem Sperandeus ex Alpinorum militia esset et peculiari devotione Servum Dei, quem solebat in oratione invocare, protinus coluisset, eodem tempore eventus ad divinum auxilium per Venerabilis intercessionem fideliter confugere repentino naturae instinctu impulsus est. Infirmus, dein, in subsequenti receptaculo apud valetudinarium in tanta oratione perseveravit una cum communitate paroeciali, quae eandem divinam invocationem adhibere inceperat: qua ratione Sperandeus superstes evadere potuerit haud constat enarratio, cum vero calamitas illa, in quam inciderat, ei morti certae esse videbatur. Patet, tamen, coniunctio temporis, sicut et nexus inter invocationem Servi Dei et salutem Sperandei, qui vitae superfuit atque exinde optima valetudine usus est, nec dein signum ullum illius eventus ostendit.

De hoc miro habito casu inter diem 22 mensis Octobris et diem 19 mensis Decembris anno 2004 apud Curiam Archidioecesis Mediolanensis Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 6 mensis Maii anno 2005 probatae sunt. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione diei 9 mensis Novembris anno 2006 eventus occursos inexplicabiles secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit. Die 25 mensis Ianuarii anno 2008, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 13 mensis Ianuarii anno 2009 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi - Mandelensi, et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Caroli Gnocchi, presbyteri dioecesani et fundatoris Operis «Pro Iuventute», videlicet de "inspiegabile sopravvivenza del Sig. Sperandio Aldeni in rapporto alla estrema gravità della folgorazione subita, che avrebbe dovuto comportare la morte dello stesso"*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Ianuarii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

VALLISOLETANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Bernardi Francisci de Hoyos sacerdotis professi Societatis Iesu (1711-1735)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Bernardus Franciscus de Hoyos die 21 mensis Augusti anno 1711, in loco quem vocant *Torrelobatón* prope Vallisoletum in Hispania, pientissimo christianorum genere natus est. Ipse vero, cum in Loiolidarum collegio Methymnae Campestri studia excoluisset, tandem agnovit sese divino quodam nutu ad conversationem in Societate Iesu amplexandam vocari. Qui quidem, sacro inito tirocinio, studiisque philosophiae ac theologiae summa cum laude ad exitum perductis, antequam sacerdos fieret, orator idemque sacer concionator eminuit, cum praesertim cultus Sacratissimo Cordi Iesu adhibendi strenuus auctor exsisteret. Die autem

2 mensis Ianuarii anno 1735, obtenta dispensatione ab aetatis defectu, sacro presbyteratus ordine insignitus est; ipse vero, aliquot post menses dum aeternis meditandis rebus per integrum mensem, ex Ignatiana ratione scilicet, febri typhica in urbem ingruente correptus est. Qui quidem morbus cum intra dies aliquot ingravesceret, tandem Dei Famulus, caelesti viatico refectus, pie obdormivit die 29 mensis Novembris anno 1735 in Collegio Vallisoletano.

Cum autem eius Beatificationi prospiceret, Postulatio Causae sanationem, quae, eodem deprecante, a Deo patrata ferebatur, huic Congregationi subiecit expendendam. Quod quidem factum est D.nae Mercedis Cabezas Terrero, quae nata est in loco vulgo dicto *San Cristóbal de la Cuesta*, prope Salmanticam in Hispania. Haec igitur, quae inde a pueritia valetudine minus prospera utebatur, duodevicesimo aetatis anno periculosam sectionem passa est, qua, colica appendice laevoque ovario excisis, phthisicae notae tumores, alii vero in intestinis, alii autem in peritonaeo, patefacti sunt. Quorum unus, reliquis deinceps annis, corruptus adeo increvit ut, parte iam abdominis occupata, non tantum aestu febrique, sed assiduis quoque doloribus, iisque acerrimis, adulescentulam afficeret. Anno vero 1935, aetatis suae vicesimo tertio, infirma etiam gravius aegrotavit, adeo ut medici, habita quoque ratione quod praecipuum remedium non esset, quodque alia genera curationis minus valida exsisterent, rem insanabilem iudicarent.

Ob tantam igitur desperationem amici et propinqui infirmae Venerabilem Dei Servum Bernardum Franciscum de Hoyos, cui quidem praecipuam ipsa pietatem adhibebat, maxima religione invocarunt, qui non solummodo petiere ut sanatio Mercedi donaretur, verum etiam alios christicolas virosque consecratos in eiusmodi supplicationem secum ipsi traxere. Die vero 22 mensis Aprilis, anno 1936, matutinis temporibus, necopinato quidem, omnia mutantur in melius, cum interea et febris et abdominis tumor evanescit: qua re nimis quam obstupefacti medici agnoverunt adulescentulam mirum in modum sanatam esse; quod quidem aliae inspectiones, aliquot post annis factae, comprobarunt.

Constat enim concursum temporis et contextum esse inter supplicationes, quibus Dei Famulus invocatus est, et sanationem D.nae Mercedis Cabezas Terrero, quae deinceps bona valetudine usa est, et iustam praesertim quoad aliorum commercium attineret, vitam, donec obiret, agere valuit.

Qua de sanatione, pro miro habita, in Curia Vallisoletana, a die 11 mensis Novembris anno 1947 ad diem 8 mensis Octobris anno 1949, Processus

Apostolicus conditus est, cuius vim praesens Congregatio ratam habuit per Decretum die 1 mensis Martii anno 1996 latum. Consilium autem Medicorum, quod apud idem Dicasterium habetur, cum sederet die 15 mensis Novembris anno 2007, agnovit sanationem, de qua agitur, celerem, perfectam stabilemque fuisse, eandem vero ex hodiernis artis cognitionibus minus explicari posse. Deinde vero, die 7 mensis Iulii anno 2008, Theologi Consultores in Peculiarem qui dicitur convenere Congressum. Quorum quidem favorabilem sententiam Purpurati Patres et Antistites, die 18 mensis Novembris anno 2008 in Sessione Ordinaria congregati, Exc.mo D.no Andrea Maria Erba, Episcopo emerito Veliterno-Signino, Causae Ponente, confirmarunt.

Et in utroque Coetu, tam Consultorum, quam Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Bernardi Francisci de Hoyos, sacerdotis professi Societatis Iesu, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione D.nae Mercedis Cabezas Terrero a «tubercolosi addominale, con localizzazione intestinale e peritoneale, con voluminosa ascite e grave compromissione dello stato generale della paziente».*

Mandavit insuper Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret atque in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Ianuarii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

ANTANANARIVEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Raphaelis Rafiringa (in saec.: Aloisii) fratris professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum (1856-1919)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Raphael Rafiringa Antananarivae in Madacascaria Novembri in mense, anno 1856, ortus est, educationem prius iuxta traditionem loci accepit, cum in insula domicilium Fratres Scholarum Christianarum, anno 1866, habuissent, statim Servus Dei vix instituti collegii alumnus fuit, et adeo studio expositionis vitae, mortis et resurrectionis Iesu Christi allectus est ut statim et sine mora christianus fieri rogaret. Cum vocationem vitam degendi religiosa sub regula animadvertisset et expleta institutione, vota secundum regulam Fratrum Scholarum Christianarum emisit.

Servus Dei mente praeditus nec non firma voluntate curare incepit Gallico e sermone operum translationes et interpretationes in Madacascariae sermonem et scholarum ad usum libros conficere.

Quidam tumultus ad libertatem adipiscendam fidei praedicatores Madacascariam relinquere coegerunt, frater Raphael praeses electus est omnium catholicorum illius loci, quorum ei diligentissima semper cura fuit. Accusatus a quodam homine, qui Christianae doctrinae institutor erat, quod secretae societatis partem haberet, Servus Dei comprehensus est et in vincula ductus est. Quidam discipuli Servi Dei eum liberaverunt, tamen salutem eius irreparabiliter captivitas imminuit vitamque ille Antananarivae in Madacascaria die 19 Maii anno 1919 deseruit.

Postulatio Causae, Servi Dei prospiciens beatificationi, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum putatam subiecit miram sanationem Domini Petri Rafaralahy, qui sexagesimum et quinque aetatis annum agens paralysi absoluta inferiorum artuum correptus est et ad ingrediendum rudibus scipionibus uti coactus est.

Vitam degebat in parvo pago Madacascariae in quo nulla erant praesidia medica, sed cum cognovisset Servi Dei Raphaelis Rafiringa feretrum in ecclesia cathedrali Antisirabensi expositum esse, ipse, qui olim eius discipulus fuerat et ab eo ad doctrinae Christianae institutoriam disciplinam initiatus,

expediens se sacro novendiale, a familiaribus postulavit ut se ad illam ecclesiam portaretur. Die 10 Iunii 1933, post sex annos in absoluto impedimento, cum, fidenti pietate, feretrum Servi Dei tetigit, sine ulla medica curatione subitaneam renovationem virium in cruribus animadvertit, eo ut, deiecto baculo, libere ingredi inceperit remigraveritque in domum suam, longum iter pedibus percurrens usque ad pagum.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Servi Dei Raphaelis Rafiringa invocationem et sanationem Petri Rafaralahy, qui deinceps vitam familiarem et socialem resumpsit, bona valetudine gaudens, sine ulla morbi recidiva usque ad mortem, anno 1940, duodeseptuaginta annum aetatis agens.

De sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam Antananarivensem a die 20 ad diem 26 Septembris anno 2004 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 2 Decembris anno 2005 est approbata. Consilium Medicorum huius Dicasterii in sessione diei 11 Decembris anno 2006 declaravit sanationem, celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 16 Maii anno 2008 Congressus actus est Peculiaris Consultorum Theologorum, atque die 2 Decembris anno 2008 in sessione ordinaria se congregaverunt Patres Cardinales et Episcopi, Causae Ponente Exc.mo Domino Lino Fumagalli Episcopo Sabinensi-Mandelensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Raphaelis Rafiringa (in saec.: Aloisii), Fratris Professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Petri Rafaralahy a «perpetua et absoluta artuum inferiorum functionis imbecillitate».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Ianuarii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

RATISBONEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Eustachii Kugler religiosi professi Ordinis Hospitalarii Sancti Ioannis a Deo (1867-1946)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Servus Eustachius Kugler (dum saeculo viveret, Iosephus) die 15 mensis Ianuarii anno 1867, in pago quem appellant *Neuhaus,* haud longe ab urbe Ratisbona, parentibus opificibus ortus est. Cum iam inde a puero sese ad orationem admodum inclinatum praeberet, ad maturitatem suos ipse mores perduxit, qui procul dubio christianis virtutibus innitebantur. Anno autem 1893 in Ordinem Hospitalarium Sancti Ioannis a Deo ascitus est, qui biennio post votis se temporariis obligavit. Hic religiosus vir, quippe qui prudentia ac diligentia magni existimaretur omniumque admirationem excitaret, Prioris officium in valetudinariis compluribus explevit; idem vero unum super viginti annos Bavaricae Provinciae Praefectus fuit. Imperante autem Hitleriana secta, fortissimus vir graviter vexatus est; at hoc quidem ostendit quonam ille strenuo polleret animo, nec vero eo valuit, ut operam laborantibus datam contineret. Qui cum iam humilitate, patrio amore, caritate denique floreret, summo insuper studio paenitentiae ac paupertatis eminuit. Eustachius enim non solummodo omni tempore Deo coniunctus vitam degit, verum etiam, cum ex stomacho assidue laboraret, sanctissima animi aequitate dolores tulit, propter quos ipse Ratisbonae, die 10 mensis Iunii anno 1946, quievit.

Postulatio vero Causae, cum Dei Famuli Beatificationi prospiceret, mirum eventum, quod in Bavaria, die 20 mensis Martii anno 2001, eodem deprecante a Deo patratum ferebatur, huic Congregationi subiecit expendendum. Quae quidem res pertinet ad perfectam incolumitatem D.ni Caroli Größl, qui, dum parvum autocinetum onerarium, plurimis periculosisque mercibus impositis, celerrime ducebat, itinere deerravit et, pluries subversus, in montis deiectum praecipitatus est. Quamquam vehiculo gravibus damnis deformato, mercibusque omnibus extra deiectis, ductor ille machinarius, qui per singulas vices infortunii plane mentis compos fuerat, nullo prorsus dolore opprimi indicavit nec vero ullum vulnus accepit. Medici igitur, cum interea brevi tempore cum arcera automataria atque helicoptero subvenissent, auxilium illi praebendum negaverunt. Quae quidem res, quippe cum pro infortunii gravitate explicari minime possit, a viro illo, cuius intererat, attributa est intercessioni Eustachii Kugler, Dei Servi, quem praecipua ipse pietate colebat. Cotidie enim se vir ad illum orando applicabat, quem cum intercessorem ad Deum agnosceret, tum pro «suae vitae sodali» haberet. Huic igitur invocationi, quae praevia, diuturna, implicita exstitit, referendum est quod fidelis ille vir caelestem in ipso discrimine tutelam esset expertus.

Quo de casu, pro miro habito, a die 22 mensis Ianuarii ad diem 23 mensis Iulii, anno 2004, in Curia Ratisbonensi Inquisitio dioecesana instructa est, cuius iuridicam validitatem praesens Congregatio agnovit per Decretum die 13 mensis Maii anno 2005 latum. Consilium autem Medicorum, quod apud idem Dicasterium habitum est, cum sederet die 14 mensis Iunii anno 2007, eius rei novitatem agnovit. Deinde vero, die 30 mensis Octobris eodem anno 2007, Theologi Consultores in Peculiarem convenere Congressum. Horum denique favorabilem sententiam Purpurati Patres et Antistites, cum essent subsequentibus diebus 4 mensis Martii et 2 mensis Decembris anno 2008, respective, in Sessione Ordinaria congregati, Exc.mo D.no Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi, Causae Ponente, confirmarunt.

Et in utroque Coetu, tam Consultorum quam Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Eustachii Kugler, Religiosi Professi Ordinis Hospitalarii Sancti Ioannis a Deo, videlicet de «perfetta incolumità del sig. Karl*

Größl in rapporto alla gravità dell'incidente subìto, che avrebbe dovuto incondizionatamente e invariabilmente produrgli danni, viste le alterazioni presenti nel veicolo stesso dopo la rovinosa uscita di strada ».

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Ianuarii A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis
a Secretis

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

MANAËNSIS et ITACOATIARENSIS

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. Aloisius Soares Vieira, Archiepiscopus Manaënsis, et DD. Carillus Gritti, I.M.C., Episcopus Praelatus Itacoatiarensis, unanimo consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt, ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Laurentii Baldisseri, Archiepiscopi titulo Diocletianensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia PP. XVI, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a praelatura territoriali Itacoatiarensi integrum territorium paroeciarum in municipiis vulgo nuncupatis « Rio Preto da Eva » et « Presidente Figueiredo » distrahit idque archidioecesi Manaënsi assignat, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus.

Quamobrem documenta et acta praefatarum paroeciarum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Itacoatiarensi ad Curiam Manaënsem transmittantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congrega-

tionem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 26 mensis Ianuarii anno 2009.

✠ Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 14 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Opoliensi, R. D. Andream Czaja, e clero eiusdem dioecesis, apud Universitatem Catholicam Lublinensem professorem.

die 20 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Utinensi, Exc.mum P. D. Andream Brunonem Mazzocato, hactenus Episcopum Tarvisinum.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Benedictus divina Providentia Pp. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 1 Iunii 2009. — Cathedrali Ecclesiae Idahinae, Exc.mum R. P. Antonium Ademu Adaji, M.S.P., hactenus Episcopum titularem Turudensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 3 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sillitanae, R. D. Henricum Couadray, S.I., hactenus Praefectum Apostolicum Mongensem, quem constituit Primum Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

die 6 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Maiduguriensi, R. D. Olivarium Dashe Doeme, e clero dioecesis Shendamensis, hactenus Parochum paroeciae Sancti Michaëlis in oppido vulgo Anguldi.

die 9 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Aitapensi, Exc.mum R. P. Ottonem Separy, hactenus Episcopum titularem Pupianensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 16 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Columbensi in Taprobane, Exc.mum R.D. Patabendige Don Albertum Malcolm Ranjith, hactenus Archiepiscopum titularem Umbriaticensem et Secretarium Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum.

die 19 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Nakhonsauanensi, R. D. Iosephum Pibul Visitnondachai, e clero Bangkokensi et hactenus Secretarium generalem Conferentiae Episcopalis pro "Social Pastoral Ministries".

— Titulari episcopali Ecclesiae Novabarbarensi, R. D. Sephen Tjephe e clero dioecesis Loikavensis, hactenus Parochum paroeciae sancti Matthaei in oppido vulgo Daugneku, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Usinazensi, R. D. Petrum Mariam Gaschy, C.S.Sp., Superiorem Communitatis C.S.Sp. in oppido vulgo Fameck in dioecesi Metensi, quem constituit Vicarium Apostolicum Insularum S. Petri et Miquelonensem.

die 20 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Bulauaiensi, R. D. Alexandrum Thomam Kaliyanil, S.V.D., hactenus missionarium et Superiorem regionalem Societatis Verbi Divini in Zimbabua.

die 30 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Maseruensi, R. D. Gerardum Tlali Lerotholi, O.M.I., hactenus Professorem in Seminario Maiore Nationali Sancti Augustini in Lesotho.

— Cathedrali Ecclesiae Leribensi, R. D. Augustinum Tumaole Bane, O.M.I., hactenus Superiorem "Mater Jesu Scholasticate" in oppido vulgo Roma (Maseru).

die 1 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Yamussukroënsi, R. D. Marcellinum Yao Kouadio, e clero dioecesis Daloaënsis, hactenus Directorem Nationalem Educationis Catholicae.

— Cathedrali Ecclesiae Abenguruensi, R. D. Gbaya Bonifatium Ziri, hactenus Vicarium generalem archidioecesis Abidianensis.

— Cathedrali Ecclesiae Odiennensi, R. D. Antonium Koné, e clero dioecesis Katiolaënsis, hactenus Professorem Seminarii Maioris interdioecesani in oppido vulgo Anyama et in Instituto Formationis Societatis Missionum ad Afros.

die 10 Iulii. — Archiepiscopum coadiutorem Kvangiuensem Exc.mum R. P. Hyginum Kim Hee-joong, hactenus Episcopum titularem Corniculanensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 11 Iulii. — Archiepiscopum coadiutorem Monroviensem Exc.mum R. P. Ludovicum Zeigler, hactenus Episcopum dioecesis Gbarnganae.

die 15 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cenculianensi, Exc.mum R. P. Franciscum Focardi, O.F.M., hactenus Auxiliarem Vicariatus Apostolici Benensis, quem constituit Vicarium Apostolicum Camiriensem.

die 17 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae De Aarensi, R. D. Adamum Leszek Musialek, S.C.I., hactenus Parochum in oppido vulgo Pietermaritzburg in archidioecesi Durbaniana.

die 22 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Jacobi Capitis Viridis, Exc.mum R. P. Arlindum Gomes Furtado, hactenus Episcopum dioecesis Mindelensis.

die 23 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Utimmensi, R. P. Theodorum van Ruijven, C.M., Praefectum Apostolicum Gimmaënsem-Bonganum et Administratorem Apostolicum Nekemteënsem, quem constituit Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

die 25 Iulii. — Archiepiscopum coadiutorem Giakartanum Exc.mum R. P. Ignatium Suharyo Hardjoatmodjo, hactenus Archiepiscopum archidioecesis Semarangensis.

— Cathedrali Ecclesiae de Thai Binh, Exc.mum R. P. Petrum Nguyên Van Dê, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Ammaedarensem et Auxiliarem dioecesis Buichuensis.

— Cathedrali Ecclesiae de Phat Diem, R. D. Iosephum Nguyen Nang, hactenus Rectorem Seminarii Maioris dioecesis Xuanlocensis.

— Cathedrali Ecclesiae Phanthietensi, Exc.mum R. P. Iosephum Vu Duy Thông, hactenus Episcopum titularem Tortibulanum et Auxiliarem dioecesis Hochiminhopolitanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bahannensi, R. D. Thomam Vu Dình Hiêu, Cancellarium Curiae dioecesis Xuanlocensis, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 1 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Mbugimayensi, Exc.mum R. P. Bernardum Emmanuelem Kasanda Mulenga, hactenus Episcopum titularem Utimmirensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 4 Augusti. — Episcopum coadiutorem Islamabadensem-Ravalpindensem R. D. Rufinum Anthony, hactenus Rectorem in Seminario Maiore Christi Regis in archidioecesi Karachiensi et Vicarium generalem in dioecesi Faisalabadensi.

die 17 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Kotidoënsi, R. D. Iosephum Filippi, M.C.C.J., hactenus Superiorem provincialem Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu in Uganda.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 28 Maii 2009. — Exc.mum R. P. Melchisedech Sikuli Paluku, Episcopum Butembensem-Benensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Kasongoënsis.

die 13 Iunii. — R. D. Gabrielem Sayaogo, Vicarium generalem dioecesis Uahiguyaënsis, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

die 11 Iulii. — R. D. Christophorum Brennan, S.M.A., Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Gbarnganae.

die 22 Iulii. — Exc.mum R. P. Arlindum Gomes Furtado, Episcopum Sancti Iacobi Capitis Viridis, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Mindelensis.

die 23 Iulii. — Exc.mum R. P. Theodorum van Ruijven, C.M., Vicarium Apostolicum Nekemteënsem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Praefecturae Gimmaënsis-Bonganae.

die 1 Augusti. — Exc.mum R. D. Ioannem Njue, Archiepiscopum Nairobiensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Ngongensis.

die 19 Augusti. — Exc.mum R. D. Sabinum Ocan Odoki, Episcopum titularem Sabratensem et Auxiliarem dioecesis Guluensis, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Aruaënsis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

8 agosto 2009 S.E.R. Mons. Orlando Antonini, Arcivescovo titolare di Formia, finora Nunzio Apostolico in Paraguay, *Nunzio Apostolico in Serbia.*

17 » » Il Rev.do Mons. Pietro Parolin, finora Sotto-Segretario della Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Acquapendente, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Venezuela.*

20 » » S.E.R. Mons. Renzo Fratini, Arcivescovo titolare di Botriana, finora Nunzio Apostolico in Nigeria, *Nunzio Apostolico in Spagna e nel Principato di Andorra e Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione Mondiale del Turismo.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

8 luglio 2009 L'Ill.mo Sig. Prof. Jean-Marie Le Méné (Francia), Presidente della «Fondation Jérôme Lejeune» di Parigi, *Membro Ordinario della Pontificia Accademia per la Vita.*

21 » » Gli Ecc.mi Mons.: Walmor Oliveira de Azevedo, Arcivescovo di Belo Horizonte (Brasile), e Mario del Valle Moronta Rodríguez, Vescovo di San Cristóbal de Venezuela (Venezuela), *Membri della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

» » » Il Rev. Sac. Jean-Pierre Kwambamba Masi, *Cerimoniere Pontificio per un quinquennio.*

31 » » Il Rev. P. Bogusław Turek, C.S.M.A., *Capo Ufficio nella Congregazione delle Cause dei Santi.*

» » » Gli Ill.mi Signori: Prof. Enzo Orti, Sig. Angelo Casciello e Sig. Luca Pace, per la Classe dei Pittori e Cineasti; Sig. Sergio Capellini per la Classe degli Scultori; Prof. Marco Guzzi, Sig. Roberto Mussapi e Prof. Gerardo

Bianco per la Classe dei Letterati e Poeti, *Membri Ordinari della Pontificia Insigne Accademia di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon.*

31 luglio 2009 Il Rev.do Mons. Jean-Marie Musivi Mpendawatu, finora Officale del Dicastero, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari.*

» » » I Rev.mi Mons. Giovanni Battista De Filippi; Mons. Agostino De Angelis, ed il Rev.do Mons. Giovanni Vaccarotto, *Giudici della Corte di Appello dello Stato della Città del Vaticano «ad quinquennium».*

» » » Il Rev.do P. Angelo Giuseppe Urru, O.P., *Giudice della Corte di Appello dello Stato della Città del Vaticano «in aliud quinquennium».*

17 agosto » Il Rev.do Mons. Ettore Balestrero, Consigliere di Nunziatura presso la Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, *Sotto-Segretario della medesima Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.*

22 » » La Sig.ra María Inmaculada García Abrisqueta, Presidente dell'Associazione spagnola «Manos Unidas», *Membro del Pontificio Consiglio «Cor Unum» «ad quinquennium».*

» » » L'Em.mo Card. Francis Eugene George, O.M.I., l'Ecc.mo Mons. Frank J. Dewane; il Rev.do P. Massimo Cenci, P.I.M.E, e il Rev.do Michael Zeung Ming Cheung, *Membri del Pontificio Consiglio «Cor Unum» «in aliud quinquennium».*

29 » » Il Rev.do Mons. Juan Fernando Usma Gómez, finora Addetto di Segreteria di 1ª classe, *Capo Ufficio nel Pontificio Consiglio per la promozione dell'Unità dei Cristiani.*

3 settembre » Gli Ill.mi: Sig. John Lloyd Sackey; Sig. José Roberto Zepeda; Dott. Rolando G. Suárez Cobián; Sig.na Margret Bretzel; Sig.ra Alžbeta Koválová; Sig.ra Brigitte Proksch; Dott.ssa Chiara Amirante; *Consultori del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti «in aliud quinquennium».*

NECROLOGIO

13	agosto	2009	Mons. John Baptist Minder, Vescovo em. di Keimoes-Upington (*Sud Africa*).
»	»	»	Mons. Gilles Ouellet, Arcivescovo em. di Rimouski (*Canada*).
16	»	»	Mons. John Mulagada, Vescovo em. di Eluru (*India*).
»	»	»	Mons. Czesław Lewandowski, Vescovo tit. di Fidoloma (*Polonia*).
19	»	»	Mons. Anthony Mayala, Arcivescovo di Mwanza (*Tanzania*).
24	»	»	Mons. Frank Marcus Fernando, Vescovo em. di Chilaw (*Sri Lanka*).
25	»	»	Mons. Carl K. Moeddel, Vescovo tit. di Bistue (*Stati Uniti d'America*).
29	»	»	Mons. Gustavo Martínez Frías, Arcivescovo di Nueva Pamplona (*Colombia*).
31	»	»	Mons. John Choi Young-soo, Arcivescovo em. di Daegu (*Corea*).
3	settembre	»	Mons. Giovanni Melis, Vescovo em. di Nuoro (*Italia*).